16

Digitized by Google

16

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 C
24

X
1
23

Digitized by Google

14. 17. b. 7

EROTEMATA
PHILOSOPHICA,

Seù Quæſita in vniuerſam

ARISTOTELIS THEORIAM,

In tres partes diſtributa,

Quarum Prima Logicam,

Secunda Phyſicam,

Tertia Metaphyſicam

complectitur.

Authore

PETRO IVVET BRVXELLENSI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B O N O N I AE,

Typis Caroli Antonij Perij. 1665. Ad Vexillum Angeli Cuſtodis. Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO,

ET REVERENDISSIMO D.

D. MARTINO PRATS,

Perpetuo Sacrę Cæſareę Maieſtatis priuilegio Equiti Bruxellenſi.

IPRARVM EPISCOPO,

Præſuli digniſſimo.

AD *gentilitia inſignium Tuorum Caſtra, ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME PRAESVL, rudis adhuc iuuenilium meorum ſtudiorum*

Digitized by Google

partus, veluti tutiſsimum aſylum VIRTVTIS AMORE non immeritò inſcriptum, recurrit: Neſcio enim, quam belli faciem hoc inſtituti genus, inter debachantes contrariarum opinionum ſectas præſeferat, vt parùm hunc tutum arbitrarer, niſi ſub tutiſsimis caſtrorum Tuorũ propugnaculis, iam toties Tua Maiorumque Tuorum gloria eximiè comprobatis reclinarem. Et, vt cætera ſileam, teſtis mihi Abauus Tuus, qui Cõcilij Caput regnique Arragoniæ Procancellarius Superiorem (ne parem dixero) Filium hæreditario VIRTVTIS AMORE reliquit. Hic Neapolitanarum turbarum exſtincto

in-

*incendio, non minùs Tunetis, ar-
ciſq; Goletanæ expeditione; quàm
nobili Ioannis Federici Saxonum
Ducis præda, æterno Sibi, Suiſque
gloriæ monimento enituit. Hunc
ſcilicèt ſelecta Militum manu,
ore gladium premens, trans El-
bis vndas inſecutus, tandem aſ-
ſecutus corripiens, vtiliſsimo,
iuxta, ac glorioſiſsimo reliquis
exemplo præiens, pro Patria, pro
Fide, pro Religione Parẽtum di-
micauit, vt (ſi verbis audacia
detur) viro illi Eum comparare
auſim*, cuius vox, tamquam
vox aquarum, & de cuius ore
gladius exibat *Apoc.* 1. *dum
Supremi numinis ductu, glorioſo
olim hæbræi Legislatoris exẽplo,*

 iter

iter ſibi per vndas ſtrauit, hoc vno diſpar, quòd ille hoſtem fugiendo oppreſſerit, hic fugientem inſequendo, maximam Reipub. Chriſtianæ calamitatem exſtinxerit. Hinc contractam iam dudum à Proauis nobilitatem, inſpectantibus Hungariæ, & Bohemiæ Rege, Maximiliano, & Ferdinando Archiducibus Auſtriæ (quodque maius) Debellato iam iam, captoque hoſte in ipſo victore campo Inuictiſſimus, auguſtæ ſemper memoriæ Carolus V. Imperator; Singularibus priuilegijs Sibi, Suiſque Poſteris cõfirmauit. Nec melius, quàm roſeis inſigniũ Tuorum comitiuis, gẽtilitia Tua caſtra, non ſemel Barbarorum in

Afri-

Africa, Hæreticorum in Germania, aliorumque Chriſtiani nominis hoſtium ſanguineo tincta murice, poterant inſigniri; quæ tantam ruboris, odoriſque edidere fragrantiam, vt geminorum Patruorum Tuorum alterum Epiſcopum Legionenſem ſeptuagenario purpuratorum numero inſeruerint, alterum inſeruiſsent; niſi importuna eum mors ſummo bonorum omnium luctu, curiæ Romanæ, eripuiſſet. Sic ſcilicèt Illuſtriſsima Tua Proſapia, non ſolum eximia armorum gloria memorabilis, Maximos Sereniſsimæ Auſtriacorum Domui, totique Chriſtianæ Reip. bello viros exhibuit, ſed & Eminentiſsimo

 hono-

honorũ culmine, Portæ illi, quam clauſam nemo aperit, quam apertam nemo claudit *Apoc. 7. pro cardine ſeſe præbuit. Sed quid aliena opris eſt petere.*

Nam Genus, & Proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco.

niſi hæreditarium in Te VIRTVTIS AMOREM, Tua facta probarent, quæ Te vſque adeò inter omnes illuſtrauere, vt, quos Alij honores ſummo ſtudio ambire conſueuerunt, Tu oblatos renuendo, inſequentes fugiendo, vnum Te his omnibus ſuperiorem, vel inuitus exhibueris. Vices Generalis exercitus, ſtatus Tuus reſpuit, Iudicis Synodalis,

Can-

Cancellariјque Velleris aurei dignitatem Tua Modeſtia non admiſit, donec bis Eccleſiaſtici Senatoris officio ab Illuſtriſsimo Senatu Mechlinienſi deputatus, Diuino tandem omine nunc Iprarum Epiſcopus deſignaris. Tu igitur Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Præſul æqui bonique conſule, dum inter tot, tantoſque Tuos Maiorũque Tuorum honores, Ego cũctos ſuſpiciens, hoc Tibi deuoti Mei animi pignus, hanc reuerentiæ, & obſequiј teſſeram gratulabundus conſecro. Enim verò importunum fortè hoc meum inter grauiſsimas Tuæ dignitatis curas officium videretur, niſi, & ingenita illa Tuæ Nobilitatis comi-

tas, & ſtudioſus Tui Meus animus ad id genus officij ardentiùs ſtimularet. Tu quoque ab oblatrãtium inſultibus hoc opus vindica, & Vale.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Deuinctiſsimus Famulus

Petrus Iuuet.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NOui me nihil ſcribere, quid nouum? ſi nihil nouum ſub Sole. Probè noui, nonnullos fortè huius me rei accuſaturos, ſed neque hoc nouum. Nouerat id optimè Sapiẽtiſſimus mortalium, dum *nihil ſub Sole nouum* ſapientiſſimè pronuntiauit. Nec tamen hoc inſtitutum meum temerario velim iudicio, vt non nouum, damnes, ea enim eſt hac tempeſtate in quauis liberarum diſciplinarum facultate Authorum copia (Paradoxum forſan dixiſſe videbor) ſimul & penuria, vt non imme-

meritò Quis canere poſſit illud Poetæ.

——. — *inopem me copia fecit.*

Siquidem, vbi quiſpiam ad philoſophicorum ſtudiorum palęſtram adiecerit animum, tanta ſeſe prima fronte offert Scriptorum turba, vt debile adhuc, & impar Tyronum Ingenium obruentes, illud, vel ſolo aſpectu perterritum ab eius amore diuertanti; dum plerique vltrà vſque adeò verborum, & voluminum excreſcunt prolixitate, vt vel inter tot pauciſſimos Tyronum ingenijs accummodatos repereris. Quibus Ego planiùs, pleniùſque perſpectis, quæ in alijs confuſa magis, quàm facilia reperi, mihi ipſi primò decerpſeram, & in facillimam iuxta, ac breuiſſimam methodum congeſſeram. Placuit multis Peritis labor, qui hunc prælo committendi Authores fuere, quorum conſilio, & authoritati, ne derogare viderer, morem geſſi, illaque, quæ partim ex optimis quibuſque fontibus hauſi, partim quoque de proprio ſubminiſtraui, facillima, qua potui methodo Tyronibus tra-

do: ſeriem quidem Philoſophorum Principis, quoad fieri licuit, ſequi conatus, non nuſquam tamen conſultò immutaui, ſic vt primò ſolita iam dudum ſerie Logicam texuerim, præfixis, quæ Porphyrij Iſagoge inſcribuntur, prædicabilibus. Phyſicam inſtituto tractatuũ ordine proſecutus, generalia priùs Naturæ rudimenta, octo phyſicorum libris expediui. Hinc ad particulares eius conſiderandas paſſiones reliqua Naturalis Philoſophiæ parte cum Ariſtotele deſcendi. Metaphyſicam, ſine qua Neminem verè ſapientem dixero, ordine vltimam, dignitate primam ſubieci. Hoc vnum, Beneuole Lector, Te monitum velim, vt, vbiuis aliena minùs, quàm propria mihi placuiſſe perſpexeris, id me non inani cauillandi animo, nec ſuperbo arrogantiæ faſtu, ſed nudo veritatis ſtudio præſtitiſſe exiſtimes. Quòd ſi nonnulla minùs arrideant,crede mihi,, nec omnia mihi in omnibus placuere, quos quidem,vt Ego ſine faſtu intactos tranſeo: Tu quoque à maledicis abſtine. Si igitur (quiſquis es

Zoi-

Zoile) meus labor ſibi improbus habeatur, benignè iudica, non arroganter condemna ; Tu verò Beneuole Lector, ſi gratus eſt, eo fruere & Vale.

Digitized by Google

INDEX
Capitum, & Tractatuum huius Operis.

LOGICA.

TRactatus 1.
Caput Vnicum de Proœmialibus Logicæ. pag. 25
Tractatus 2. De Prædicabilibus Porphyrij.
Caput 1. De Vniuerſali in genere. 31
Caput 2. De Vniuerſali in particulari. 33
Caput 3. De Indiuiduo. 36
Tractatus 3.
Caput Vnicum de Antepredicamentis. 38
Tractatus 4. De Prædicamentis.
Caput 1. De Subſtantia. 41
Caput 2. De Quantitate. 43
Caput 3. De Relatione. 44
Caput 4. De Qualitate. 47
Caput 5. De reliquis ſex Prædicamentis. 48
Tractatus 5. De Poſtprædicamentis.
Caput 1. De Repugnantibus. 49
Caput 2. De modis Prioris, & ſimul. 51
Tra-

Tractatus 6. In Libros Ariſtotelis Perihermenias.

Caput 1. De Nomine, Verbo, & Oratione. 52

Caput 2. De Enuntiatione. 53

Caput 3. De Oppoſitione Propoſitionum. 56

Caput 4. De Regula Contradictoriarum in futuris contingentibus. 61

Caput 5. De aliquibus Propoſitionum affectionibus. 62

Caput 6. De Propoſitione modali. 63

Caput 7. De Aequipollentia, & Conuerſione Propoſitionum. 65

Tractatus 7. In Libros Ariſtotelis Priorum.

Caput 1. De Argumentatione. 69

Caput 2. De Syllogiſmo. 71

Caput 3. De Regulis Syllogiſmorum. 77

Caput 4. De Fundamentis Figurarum. 79

Caput 5. De Reductione Syllogiſmorum. 81

Tractatus 8. In Libros Ariſtotelis Poſteriorum.

Caput 1. De varijs Syllogiſmi Diuiſionibus. 85

Caput 2. De Præcognitione. 87

Caput 3. De Præmiſſis Demonſtratiuis. 80

Caput 4. De Propoſitione per ſe, &c. 9

Caput 5. De Demonſtratione quia, &

cir-

circulo. 92
Caput 6. De Scientia. 93
Tractatus 9. De Syllogiſmo Topico.
Caput 1. De Locis Topicis in genere. 94
Caput 2. De Locis Topicis in ſpecie. 95
Tractatus 10. In Libros Ariſt. Elenchorum.
Caput 1. De Locis Sophiſticis in genere. 99
Caput 2. De Locis Sophiſticis in ſpecie. ibid.

PHYSICA.

De Procemialibus Phyſicæ. 103
Tractatus 1. Super Librum 1. Phyſicorum.
Caput 1. De Principiis Phyſicis in genere. 105
Caput 2. De Materia prima. 106
Caput 3. De Forma. 114
Caput 4. De Priuatione. 121
Caput 5. De Compoſito Phyſico. 124
Tractatus 2. Super Librum 2. Phyſicorum.
Caput 1. De Natura. 128
Caput 2. De Cauſis in genere. 131
Caput 3. De Cauſa Materiali. 133

Ca-

Caput 4. De Cauſa formali. 137
Caput 5. De Cauſa Efficiente. 140
Caput 6. De Cauſa Finali. 148
Caput 7. De fortuna fato, & Monſtro 152
Tractatus 3. Super Librum 3. Phyſicorum.
Caput 1. De Motu. 154
Caput 2. De Continuo. 159
Caput 3. De Infinito. 162
Tractatus 4. Super Librum 4. Phyſicorum.
Caput 1. De Loco, & Vbicatione 164
Caput 2. De Vacuo. 166
Caput 3. De Tempore. 169
Tractatus 5. Super reliquos libros Phyſicorum
Caput 1. De Motu Grauium, Leuium, & Proiectorum. 171
Caput 2. De primo Motore, & creatione. 175
Tractatus 6. Super Libros De Cœlo & Mundo.
Caput 1. De Sphæra Cæleſti. 178
Caput 2. De Mundo. 185
Caput 3. De Cælo. 188
Tractatus 7. Super Libros De Generat. & Corrupt.
Caput 2. De Generat. & Corrupt. ſubſtantiali

tiali. 195
Caput 2. De alteratione. 200
Caput 3. De Actione, & Paſſione. 204
Caput 4. De Elementis, & Primis Qualitatibus. 211
Caput 5. De Mixtione. 216
Tractatus 8. Super Libros Ariſt. Meteororum.
Caput 1. De Meteoris in genere. 221
Caput 2. De Meteoris igneis. 222
Caput 3. De Meteoris aqueis. 224
Caput 4. De Meteoris terreis. 227
Caput 5. De Meteoris aereis. 228
Tractatus 9. Super Libros Ariſt. De Anima.
Caput 1. De Anima in genere. 229
Caput 2. De Anima vegetatiua, & potentia nutritiua. 236
Caput 3. De Potentia augmentatiua. 241
Caput 4. De Potentia generatiua. 243
Caput 5. De Generatione ex putri. 246
Caput 6. De Anima sẽſitiua in genere. 249
Caput 7. De Senſu Viſus. 256
Caput 8. De Senſu Auditus. 261
Caput 9. De Senſu Odoratus. 263
Caput 10. De Senſu Guſtus. 264
Caput 11. De Senſu Tactus. 265
Caput 12. De Senſibus interioribus. 269

Ca-

Caput 13. *De Somno Somnio , & Vigilia.* 271
Caput 14. *De Potentia appetitiua, & locomotiua.* 273
Caput 15. *De Anima intellectiua in genere.* 274
Caput 16. *De Intellectu ſpeciatim.* 276
Caput 17. *De Memoria, & Voluntate.* 283

METAPHYSICA.

Tractatus 1.
Caput vnicum. De Proœmialibus Metaphyſicæ. 285
Tractatus 2.
Caput vnicum De Ente in genere. 287
Tractatus 3. De Ente reali.
Caput 1. *De Ente reali, & eius Attributis in genere.* 291
Caput 2. *De Veritate tranſcendente.* 292
Caput 3. *De Bonitate tranſcendente.* 294
Caput 4. *De Vnitate tranſcendente.* 296
Tractatus 4. De Ente increato.
Caput 1. *De Deo, & eius Attributis in genere.* 297

Ca-

Caput 2. De Attributis Dei ſpeciatim 301
Tractatus 5.
Caput Unicum, De Ente creato, & eius affectionibus. 306
Tractatus 6. De Subſtantia.
Caput 1. De Eſſentia, & diuiſione Subſtantiæ. 309
Caput 2. De Natura, Exiſtentia, & Indiuiduatione. 311
Caput 3. De Subſiſtentia. 314
Tractatus 7. De Subſtātijs abſtractis, ſeù Angelis.
Caput 1. De Natura Angelorum. 320
Caput 2. De Vi motrice Angelorum. 325
Caput 3. De cognitione Angelorum. 326
Caput 4. De Voluntate Angelorum. 330
Tractatus 8. De Accidente, & Inhærentia.
Caput 1. De Accidente in Genere. 333
Caput 2. De Quantitate. 334
Caput 3. De Relatione. 338
Caput 4. De Qualitate. 343
Tractatus 9.
Caput vnicum De Diſtinctione, & Identitate Entis Realis. 347
Tractatus 10. De Ente rationis.
Caput 1. De Ente rationis in genere. 351
Caput 2. De Diuiſione entis rationis. 356

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tra-

Errata.	fol.	lin.	Corrige.
Sertia	48	9	*tertia*
contradictoriæ	67	vlt.	*contrariæ*
Phyſica	141	26	*libera*
Cācer, Capricornus	182	15	*Cancri, Capricornū*
ac circulus	183	29	*circuli*
eſt	187	17	*&c.*
penetrans	193	17	*penetrat*
hæreantur	*ibid.*	22	*hæreant in*
propoſitionem	216	14	*proportionem*
nequat	237	11	*nequeat*
alimentis	243	20	*elementis*
hâc	262	27	*hoc*
aſsignantur	265	18	*aſsignans*
ſibi cum	273	23	*vbi eam*
D. Thomas	288	21	*contra D. Th.*
prior	344	23	*priori*
actuorum	346	1	*activorum*
vnita	358	6	*Vnitas*

Aduerte, Beneuole Lector, errorem, qui contigit in folij numero, à ſexternione H *vſque* I *vbi poſt* 168. *inuenies numerum* 159. *quem, ſi ad decem per totam ſexternionem* H *auxeris vſque ad num.* 193. *totum correxeris, quod obſerua in Indicis citatione. Et vale.*

ARISTOTELICÆ DOCTRINÆ THEORICÆ

Pars Prima.

Complectens vniuerſam Logicam.

Tractatus Primus.

Caput Vnicum de Proœmialibus Logicæ.

QVÆRES 1. Quid ſit Logica. R. Eſt Diſciplina, per quam rectè de quauis re obuia diſcurrimus; pro quo notandum, ad bonum omnis rei diſcurſum duo concurrere, materiam ſcil. & formam. Materia eſt res, de qua fit diſcurſus, & hanc tradunt omnes reliquæ ſcientiæ; ſic Phyſica dat ſuum ens naturale, &c. Forma eſt ipſe modus ſub quo debet diſcurſus inſtitui, vt per definitiones, diuiſiones, argumentationes, & ſimilia, & hanc præbet ſola Logica, vndè ipſa ſic vocatur à Græco *logos*, quod eſt ſermo, & aliàs dicitur Dialectica, id eſt diſcurſiua, ſeù ratiocinatiua.

Quæres 2. Quomodo diuidatur Logica. R. Aliquas tantùm celebriores eius diuiſiones proponemus, & primò diuiditur in docentem, & vtentem. Docens eſt ipſa regula inſtrumentorum Logicorum. Vtens eſt illius vſus, & praxis materiæ applicata; ſecundò diuiditur in Topicam, Sophiſticam,

& Analyticam. Topica, ſeù probabilis eſt ea pars, vbi Ariſt. tradit methodum probabiliter arguẽdi, vt ab auctoritate, à pari, &c. Sophiſtica eſt, quæ tradit, & refellit ſophiſmata, ſeù fallacias in arguendo, vt à ſimpliciter ad ſecundum quid, &c. quam tradit Philoſophus in libris Elenchorum. Analytica eſt in qua inſtrumenta Logicalia vſque ad principia reſoluit, vti ſyllogiſmum in propoſitiones, propoſitiones in terminos, & hanc tradit Ariſt. in libris Analyticorum. Tertiò diuiditur in vniuerſalem, & particularem: vniuerſalis eſt in qua tradit vniuerſalem methodum diſcurſus, & hæc conſiſtit in lib. Perihermenias, & Priorum: particularis eſt in qua docet applicare vniuerſalia principia materię particulari, puta neceſſariæ, vel probabili, & hanc tradit in reliquis partibus Logicæ.

Quæres 3. Quæ ſint inſtrumenta Logicalia. R. Eſſe illa, quibus Logica ad rectè diſſerendum vtitur; ſunt autèm tria, definitio ſcil. diuiſio, & argumentatio, de quibus ſuo loco.

Quæres 4. Vtrum Logica ſit ars. R. Procedit quęſitum de Logica docente. Eſt autem Ars *practica ratio factibilium*, pro quo notãda eſt differentia inter factibilia, & agibilia: factibilia ſunt illa, quæ apta ſunt opere externo fieri: agibilia ſunt, quæ opere interno perficiuntur, & ſunt propria Prudentię: Modò ad propoſitum multi Logicam inter artes redigunt, ſed facilè refelluntur ex Ariſt. 6. Ethic. vbi dicit, quòd ars ſit eorum, quorum principium eſt voluntas, ſecùs Logica,

nam

nàm illius concluſiones non dependent à libera voluntate, ſed neceſſariò inferuntur ab intellectu : ſecundò Logicæ operationes ad ſummum erunt internæ, non externę; quòd vt clarius intelligatur.

Quæres 5. Vtrum Logica ſit ſpeculatiua, vel practica. R. Iterum procedit præſens quæſitum de Logica docente; dicitur autem diſciplina eſſe ſpeculatiua, quæ ſiſtit in nuda conſideratione ſui obiecti: Practica, quæ vlterius circa illud operatur, & ipſum in praxi exſequitur. Plurimi igitur eam eſſe practicam volunt: placet nihilominus oppoſitum, & ratio eſt, quia ſi eſt practica, vel eſt actiua, vel factiua, iuxta Ariſt. 6. Ethic. non prius, quia actiua verſantur circa liberas electiones voluntatis, Logica autem neceſſarias infert concluſiones; non poſterius, quia factiua ſunt materiæ externę, circa quam operamur, ergo neutra.

Dices. Illa diſciplina eſt practica, quæ format ſuum obiectum, hoc facit Logica formando ſyllogiſmos &c. Ergo eſt practica. R. Illam eſſe practicam diſciplinam, quæ per ſe intendit factionem ſui obiecti, non quæ illud per accidens facit, vt eſt Logica docens, ſic Phyſica, cum ſit ſpeculatiua, ſæpè capit experimentum ex praxi.

Quæres 6. Vtrum Logica ſit Scientia. R. Vidimus ſupra eſſe habitum ſpeculatiuum: huius autem quinque ſunt ſpecies ſcil. Intellectus, Scientia, Sapientia, Opinio, & Fides: Eſt autem Scientia *habitus per demonſtrationem acquiſitus*; vndè Ariſt. demonſtrationem alibi vocat ſyllogiſmum ſcientificum; defin-

definitur autem (vt ſuppono ex dicendis) *ſyllogiſmus ex prioribus, & notioribus, cauſiſq; concluſionis*, hoc poſito Plurimi negant Logicam eſſe ſcientiam ob varias rationes, quas partim ex dictis, partim ex dicendis facilè eſt refellere : vndè reſtat, vt eam inter ſcientias locemus, & ratio petitur ex demonſtratiua eius methodo procedendi, vt v.g. Omnis ſyllogiſmus in forma neceſſariò concludit, ſyllogiſmus in Barbara eſt in forma, ergo neceſſariò concludit; de reliquo facilè patebit conſideranti ex noſtris principijs.

Dices 1. Scientia procedit per cauſas cõcluſionis; ſecùs Logica, ergo &c. maior ſupponitur; min. probatur, nam Logica eſt de ente rationis, quod non habet veras cauſas. ℞. Negando minorem : ad cuius probationem dico ens rationis habere veras cauſas ſuo modo, ſcil. rationis, quòd ſufficit, licet non habeat reales.

Dices 2. Omnis ſcientia eſt nobilior quauis arte, Logica non eſt nobilior quauis arte, quia tantùm tractat ens rationis, artes verò de reali: ergo &c. ℞. Nobilitatem Scientiæ iuxta Ariſt. lib. 1. de Anima, t. 1. ex duplici capite ſumi, vel ex obiecto, vel ex modo procedendi: ex obiecto multę artes ſunt nobiliores Logica, nec refert. Ex parte modi nobilior eſt Logica quauis Arte, & ſic concedenda eſt maior.

Quæres 7. An Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad omnes alias ſcientias. ℞. Multi negant, ſed pro ſolutione notandum duplex eſſe neceſſarium, aliud ſimpliciter, id eſt ſine

quo

quo impoſſibile eſt aliquid facere, vt pedē ad ambulādum, aliud eſt neceſſarium ſecundum quid, ſeù ad benè eſſe, id eſt ſine quo abſolutè quidem aliud poteſt fieri, ſed difficulter; ſic equus eſt neceſſarius ad proficiſcendum: modò quæſitum procedit de neceſſariò primo modo; ad quod dico affirmatiuè. Probatur ſimul, & explicatur. Omnis ſcientia debet ſub ratione demonſtratiua ſuum obiectum inquirere, hoc eſt impoſſibile ſine Logica: ergo &c. maior ſupponitur; min. probatur, nàm ſola Logica docet rationem demonſtratiuam.

Dices 1. Quæuis ſcientia habet proprias demonſtrationes, ergo ad hoc non indiget Logica. ℞. Ex dict. Quæſito 1. omnem ſcientiam dare materiam ſuarum demonſtrationum, ſed formam dat ſola Logica.

Dices 2. Si Deus ab aliquo Phyſico tolleret habitum Logicæ, ille adhuc eſſet Phyſicus, & conſequenter ſciens. ſine Logica, ergo &c. ℞. Ille tālis adhuc eſſet Phyſicus materialiter, ſed non ſciens, quia ad ſcientiam (vt ſepè dixi) duo concurrunt, materia ſci. propria, & forma demonſtratiua, priorem haberet, non poſteriorem, nec eſſet ſciens.

Quæres 8. Quod ſit obiectum Logicæ. ℞. Circà hanc quæſtionem maximè diſſentiunt Auctores. Alij enim argumentationem pro obiecto Logicæ aſſignant, vt Albertus, Alij ſyllogiſmum, vt Scotiſtæ. Alij demonſtrationem, vt Ammonius. Alij voces, vt Nominales. Alij ſecundam intētionem, vt Thomiſtæ. Alij omnia, vt Zabarella. Alij nihil, vt Morandus. Alij modos ſciendi. Alij tres men-

tis operationes ſtatuunt. Pro ſolutione notandum dupliciter diuidi obiectum, ſcil. in formale, & materiale, in inadæquatum, & adæquatum: materiale eſt res, ſeù materia tractata in ſcientia: formale ratio formalis, ſecundum quàm materia inquiritur: adęquatum eſt, quod per totam ſcientiam indagatur: inadæquatum, quod in parte ſcientiæ conſideratur: Modò, relictis omnibus opinionibus, puto formale, & adęquatum obiectū Logicæ eſſe tres mentis operationes, quatenus dirigibiles, nè in ſuis exercitijs errent. Pro probatione Nota tres mentis operationes eſſe has, ſcilicet ſimplicem appræhenſionem, ideſt cum intellectus noſter aliquod obiectum appræhendit nihil de ipſo aſſerendo, vel negando, vt fit in terminis, definitionibus &c. Secunda eſt compoſitio, vel diuiſio. Compoſitio eſt cum intellectus duo extrema vnit, & componit, vnum de altero affirmando, vt fit in propoſitione affirmatiua. Diuiſio eſt cum intellectus duo extrema diuidit, vnum de altero negando, vt fit in propoſitione negatiua. Tertia eſt Argumentatio, cum intellectus vnum infert ex alio, modò ſic probo conclusionem. Illud dicitur obiectum formale, & adæquatum alicuius ſcientiæ, ſub quo omnia ſua conſiderat, & ad quod omnia dirigit talis ſcientia; atqui huiuſmodi ſunt tres mentis operationes reſpectu Logicæ, ergo &c. Maior eſt certa, min. probatur diſcurrendo per omnes partes Logicæ, nàm in Prędicabilibus, & Prędicamentis, quæ tractantur omnia ad primam mentis operationem ſpectant, quę in libris Perihermenias

menias pauca ad primam, reliqua ad ſecundam operationem pertinent, cœtera omnia ad tertiam; ſecundò probatur per excluſionem reliquorum, non enim eſt argumentatio, vel ſyllogiſmus, vel demonſtratio, quia Logica multa alia tractat; nec valet dicere omnia ad hæc dirigere, quia hoc gratis aſſeritur; non voces, quia illæ ſunt inferioris diſciplinæ: non ſecunda intentio, quia multæ ſecundæ intentiones non ſunt Logicæ conſiderationis, ſed Metaphyſicæ: non inſtrumenta logicalia, quia illa ſunt media ſub quibus Logica ſuum obiectum inquirit: non omnia, quia ſic Logicæ omnes ſcientiæ ſubalternarentur: non etiam nihil, quia omnis diſciplina habet aliquod obiectum; reſtat ergo, vt ſint tres mentis operationes.

Tractatus Secundus

De Prædicabilibus Porphirij.

Caput 1. de Vniuerſali in Genere.

PRæfigitur communiter toti Ariſtotelis Logicæ hic tractatus, cum aliàs captu valdè difficilia ſint reliqua, quæ in Logica tractantur. Circa quod variç quæſtiones Metaphyſicç ab Auctoribus proponuntur. Nos illas commodius in Metaphyſicam transferemus, hic tantùm breuiter, quantum ſufficiet illud inquiſituri: circa quod.

Quæres 1. Quid ſit Prædicabile, ſeù Vniuer-

uerſale. ℞. Sciendum eſt Vniuerſale duplex eſſe, complexum, & ſunt propoſitiones, de quibus alibi, & incomplexum, quæ ſunt res, vel voces ſimplices: hic de poſteriori agimus; poteſt autem ſic definiri *vnum multiplex*, atque hęc eſt generaliſſima eius acceptio; pro cuius intellectione.

Quęres 2. Quotuplex ſit Vniuerſale. ℞. Cōmuniter aſſignatur quintuplex, ſcil. Vniuerſale in eſſendo, & eſt res vna, quæ ineſt multis. In prædicando, & eſt res vna, quæ prædicatur de multis. In ſignificando, & eſt vox vna, quæ ſignificat multa. In cauſando, & eſt res vna, quæ cauſat multa. In repręſentādo, & eſt res vna, quæ repræſentat multa: Hic autem deinceps ſermo erit de Vniuerſali in eſſendo, & prædicando.

Quæres 3. Quid ſit Vniuerſale, vt hic ſumitur. ℞. Eſſe *rem vnam, quæ ineſt multis, vel dicitur de multis vniuocè cum ſui multiplicatione, & tamquam ens per ſe, & vnius naturæ*. Dicitur *res*, quia omne Vniuerſale eſt *res* aliqua, *quæ ineſt multis, vel dicitur de multis* ad complectendum, tàm Vniuerſale in eſſendo, quàm in prædicando: *vniuocè*, quia ſi æquiuocè ineſt, non inerit, vt res vnà: *cum ſui multiplicatione* ad excludendum Naturam Diuinam, quæ quidem multis perſonis ineſt, ſed ſine ſui multiplicatione: *tamquàm ens per ſe, & vnius naturæ* ad excludenda omnia entia per accidens, quę ex mente Porphyrij non ſunt vniuerſalia, & huiuſmodi ſunt omnia artificialia, vt ſedes, & aggregata per accidēs, vti cumulus lapidū &c. eſt autem in multis non intelligitur ſic, vt

vni-

vniuerſale ſit actu in multis, ſed aptitudine; vndè natura Solis, licet de facto non ſit in multis, eſt tamen Vniuerſale, quia apta eſt eſſe in multis; quæ autem vnitas, & quę aptitudo ad Vniuerſale requiratur v. in Metaphyſica.

Cap. 2. de ſpeciebus Vniuerſalis in particulari.

QVæres 1. Quot ſint ſpecies Vniuerſalis. R. Communiter quinque aſſignantur, ſcil. Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

Quęres 2. Quid ſit Genus. R. *Eſt vniuerſale, quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur in quid.* Dicitur *vniuerſale* omne enim gen⁹ eſt Vniuerſale. Dicitur *de pluribus ſpecie differentibus* hoc eſt Naturà differentibus: *in quid*, hoc eſt per modum ſubſtantiui eſſentialis, ſic Animal eſt Vniuerſale, quod dicitur de pluribus natura diuerſis, vti homine, & leone, eſſentialiter per modum ſubſtantiui.

Quæres 3. Quid ſit ſpecies. R. Prius diſtinguenda eſt in ſubiicibilem, & prædicabilem. Subijcibilis eſt, quam tetigimus in definitione generis, *de qua ſcil. genus dicitur in quid*. Prædicabilis, quæ & athoma, & ſpecialiſſima dicitur eſt, *quæ prædicatur de pluribus tantùm numero differentibus in quid*, vt *homo*; non enim dicitur de pluribus Naturis, ſed de vna tantùm, omnibuſque contentis ſub illa.

Quæręs 4. Quænam à Porphyrio dicantur

 ſubal-

ſubalterna. ℞. Ex verbis eius *ſubalterna genera ſpeciesque ſunt*; pro cuius intelligentia nota Genus, vel eſſe tale, vt ſit ſummum in ſuo ordine, vti *ſubſtantia*, & dicitur genus generaliſſimum; vel ſic, vt admittat aliud genus ſupra ſe, reſpectu cuius dicitur ſpecies, vti corpus, quod cum ſit genus reſpectu plantæ, & lapidis &c. etiam eſt ſpecies de qua dicitur ſubſtantia, tamquàm genus ſuperius, & hoc dicitur genus, & ſpecies ſubalterna.

Quæres 5. Quid ſit differentia. ℞. Eſt *vniuerſale, quod ineſt, vel dicitur de multis ſpecie, vel numero differentibus in quale quid.* Dicitur *vniuerſale*, vt & de alijs: *pluribus ſpecie vel numero differentibus*; quia differentia; tàm benè poteſt dici de Natura diuerſis, quàm ſolo numero: prioris exemplum eſt *ſenſitiuum*, reſpectu hominis, & bouis; poſterioris *rationale* reſpectu ſolius hominis. *In quale quid*, id eſt eſſentialiter per modum adiectiui. Dupliciter autem diuiditur, primò in genericam, & ſpecificam, ſecundò in conſtitutiuam, & diuiſiuam. Generica dicitur, quæ de pluribus ſpecie differentibus dicitur, vt ſenſitiuum, Specifica, quæ de ſolo numero differentibus prædicatur, vt rationale. Conſtitutiua dicitur per ordinem ad ſpeciem, quam, cum additur generi, conſtituit, vt cum rationale additur animali, conſtituit ſpeciem hominis. Diuiſiua dicitur per ordinem ad genus, quod diuidit: ſic idem rationale additum animali diuidit ipſum ab irrationali.

Quæres 6. Quid ſit Proprium. ℞. Prius hic ſciendum eſt aliquid dici proprium qua-

druplicìter. Primo modo dicitur, quod vni tantùm conuenit ſpeciei,ſed non omni contento ſub illa, vt Rhetorica reſpectu hominis; ſolus enim homo eſt Rhetor,ſed nõ omnis. Secundo modo dicitur,quod omni contento ſub ſpecie competit, ſed non ſoli, vt eſſe bipedem conuenit omni homini, ſed non ſoli, quia etiam Auibus conuenit. Tertio modo eſt Proprium, quod vni ſoli competit ſpeciei, & omni contento ſub illa, vt caneſcere reſpectu hominis; ſolus enim homo,& omnis caneſcit,ſed non ſemper.Quarto denique modo Proprium eſt, quod conſtituit quartum Prædicabile(nàm reliqua ad quintum ſpectant) ſic deſcribitur, *quod cum immediatè ab eſſentia prófluat ſoli, & omni, & ſemper accidit*, vti ridere reſpectu hominis,hinnire reſpectu Equi,& ſimilia.

Quæres 7. Quid ſit Accidens? ℞. Sic deſcribitur *vniuerſale,quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione*, vt albedo,& nigredo reſpectu hominis; aliud eſt ſeparabile, aliud inſeparabile. Separabile eſt quod ſine vlla difficultate à ſubiecto tollitur,vt albedo à pariete. Inſeparabile, quod vel nullo modo,vel difficulter admodum à ſubiecto ſeparatur,vt cicatrix à corpore: vbi nota diſtinctionem inter abeſſe, & ſeparari; abeſſe enim dicit ſimpliciter non adeſſe; ſeparare verò tollere, quod iam eſt, atque Accidens quidem non poteſt ſemper ſeparari poſtquam iam adeſt, poterat tamen non adeſſe, quòd ſufficit.

QVæres 1. Quid ſit Indiuiduum. R. Eſt id, quod dicitur de vno ſolo particulari, vti Petrus: & eſt quadruplex, determinatum ſcilicet, vagum, ex ſuppoſitione, & collectiuum.

Indiuiduum determinatum eſt, quod eſt proprijs affectionibus numericis circumſcriptum; ſunt autem iſtæ affectiones.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Quę quidem, non niſi vni particulari ordinariò conueniunt, & hoc eſt, quòd propriè dicitur indiuiduum, ſub quo continentur omnia nomina, quæ Grammatici dicunt propria.

Indiuiduum vagum eſt cum nomini vniuerſali additur aliqua particula particularis, vti *aliquis, quidam*, vt dicendo *aliquis homo*: verùm hoc improprijſſimè dicitur indiuiduum.

Indiuiduum ex ſuppoſitione eſt, quod ex ſe quidem pluribus accomodari poteſt, ſed facta aliqua hyppoteſi, ſeù ſuppoſitione non niſi vnum deſignat: ſic dicitur *filius Petri*, quod quidem ex ſe poteſt multis accommodari, ſed ſuppoſito, quòd Petrus tãtùm vnum habuerit filium, ille vnus per hanc vocem determinatè intelligitur.

Indiuiduum collectiuum eſt, quod quidem plura ſignificat, ſed ſub collectione aliqua particulari, vti *Bononia*, quæ quidem multos homines ſignificat, ſed ſub collectione vnius populi.

Quæ-

Queres 2. An detur aliqua ratio communis omnibus Indiuiduis. ℞. Dupliciter conſideratur Indiuiduum; primò ſcil. & ſecundò intentionaliter; primò intentionaliter ſignificat ipſam rem particularem, vt eſt in ſe à parte rei, nec ſic procedit quæſitum: ſecundò intentionaliter ſignificat illum conceptum, quem ſuper tali re format noſter intellectus, & ſic procedit quæſitum: modò Aliqui negatiuè ſentiunt, vti Louanienſes, Caiet. Tolet & alij quos citat Morãdus cap. 2. Iſagoges quæſt. 6. ſed oppoſitum cum D. Thoma 1. p. quæſt. 30. art. 4. verius puto, & ratio eſt, quia, ſicut ab omnibus ſpeciebus abſtrahitur conceptus communis differentiæ cuiuslibet ſpeciei, cur non ab omnibus Indiuiduis poſſit abſtrahi vnus conceptus differentię indiuidualis communis omnibus Indiuiduis; manifeſtum enim videtur, quòd tàm Petrus, quàm Paulus in ratione Indiuidui conueniunt.

Dices Indiuidua ſunt primò diuerſa, ergo in nullo conueniunt. ℞. Eſſe primò diuerſa numericè, non formaliter, & retorqueo argumentum ſic: Indiuidua ſunt primò diuerſa, ergo habent aliquam rationem cõmunem: probo conſequentiam, quia in eo cõueniunt omnia, quòd ſint primò diuerſa.

Tractatus Tertius.

Caput Unicum de Antepredicamentis.

HVc vſque de Porphyrij Iſagoge, hìc autem Ariſtotelis, libros aggredimur, qui de Prædicamentis acturus, aliquas rerum, & vocum præfigit diuiſiones,& dicũtur Antepręḍicamenta, circa quę

Quęres 1. Quæ ſint vniuoca. R. Eſſe illa, *quorum nomen eſt idem, & ratio nomini accommodata eſt eadem.* Senſus eſt vniuoca ſunt,quæ habent idem nomen ſecundùm eamdem ſignificationem, vti *homo*, & *leo* in ordine ad *animal*; pro quo ſciendum vniuoca, alia eſſe vniuocata, & ſunt res ipſæ per nomen ſignificatę, & alia vniuocantia, quæ ſunt voces ipſæ vniuocę,hìc autem in definitione intelliguntur vniuocata, nàm vniuocantia ſic poſsunt deſcribi: *nomina ſub eadem ſignificatione plura indicantia*, vti vox *homo*.

Quæres 2. Quę ſint Æquiuoca. R. Hæc iterum diuiduntur, vt vniuoca in æquiuoca æquiuocata, & æquiuocantia: ſunt autem æquiuocata res,quæ ſortiuntur idem nomen ſub diuerſa ratione, vti *Stella*, & *animal* reſpectu Canis cæleſtis,& terreſtris:ęquiuocãtia ſunt ipſæ voces diuerſas res ſignificantes, vti vox *canis* reſpectu ſtellæ, & animalis.

Quæres 3. Quę ſint denominatiua. R. Sũt illa, *quæ ab aliquo nominis appellationem habẽt ſolo differentia caſu*: vti Muſicus dicitur ab arte Muſica. Denominatio autem, relictis

alijs

alijs minus vtilibus diuiſionibus, alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. Intrinſeca eſt, quæ denominat ſubiectum ſecundùm formam intrinſecè inhærentem, vt ab albedine denominatur paries intrinſecè albus, quia albedo verè eſt in pariete. Denominatio extrinſeca eſt, quæ denominat ſubiectum à forma extrinſeca, ſic à viſione denominatur paries viſus, & tamen viſio non eſt in pariete, ſed in vidente.

Quæres 4. Quotuplices ſint voces. ℞. Diuidit hic Ariſt. voces in complexas, & incomplexas; priorum exemplum eſt *diſciplinæ capax*, poſteriorum *homo*: pro quo ſcito Ariſtotelem hic ſumere voces, non pro quocumque ſono vitali, ſed vt enunciabiles sũt.

Quæres 5. Quotuplices ſint res. ℞. Poſt voces diuidit Philoſophus res in Subſtantias, & Accidentia; vtraque iterum in particularia, & vniuerſalia his verbis: *Eorum quę sũt, alia ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, alia non ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto, alia ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto, alia verò, nec in ſubiecto ſunt, nec de ſubiecto dicuntur: id autem in ſubiecto eſſe dico, quòd in aliquo quidem eſt, & non vt pars, vt ſit autem ſeorſim ab eo in quo ineſt fieri nequit.* quæ omnia infra vbi de ſubſtantia clarius dilucidabo: Interea octo modis dicitur aliquid eſſe in alio contentis hoc diſtico:

1. 2. 3. 4. 5.
Inſũt Pars, Totũ Species, Genus M quoq; Forma
6. 7. 8.
Regnum in Rege eſt, in Fine, Locoq; Locatum

Tractatus Quartus.

De Prædicamentis.

QVæres 1. Quid ſit Prædicamentum? ℞. Eſt certus ordo generum, ſpecierum, & differentiarum vſque ad indiuidua digeſtus.

Quæres 2. Quę requirantur ad hoc, vt aliquid ponatur in Prædicamento. ℞. Quinque, primum eſt, vt ſit ens reale, ideſt cui à parte rei non repugnat exiſtere: ſecundum, vt ſit ens vnius naturæ; quid autem id ſit ſupra oſtendi Tr. 2. c. 1. q. 3. tertium, vt ſit ens finitum vndè excluditur Deus: quartum, vt ſit ens completum; dicitur autem ens completum, quod ex ſe non ordinatur ad compoſitionem alterius, qua ratione excluduntur materia, & forma: verùm hoc tantùm valet de partibus phyſicis, & integralibus, non de Logicis, ſeù Metaphyſicis, quia genus, & differentia ſunt entia logicè incompleta, & tamen ponuntur in Prædicamento: quintum, vt ſit aliquo modo compoſitum, ſaltem metaphyſicè, qua ratione iterum excluditur Deus à Prædicamentis.

Quæres 3. Quot ſint Prædicamenta. ℞. Decem ab Ariſtotele aſſignantur, ſcil. Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs, Habitus, de quibus ſigillatim.

Caput

QVæres 1. Quid ſit Subſtantia. ℞. Eſt *Ens per ſe exiſtens* Circa quod ſciendum eſt, quod ſupra inſinuaui quid ſit exiſtere per ſe; & quid exiſtere in alio: exiſtere per ſe eſt exiſtere ſine omni ſubiecto inhæſionis, ſeù in ſe ſubſiſtere, vti homo, paries: & cætera, quæ ſic exiſtunt, vt nulli ſubiecto intrinſecè inſint. Exiſtere in alio eſt (vt tractatu præcedenti q. 5. ex verbis Ariſtotelis tetigi) quod requirit has conditiones, primò, vt ſit in alio, ſecundò vt non inſit alteri, vt pars toti, tertiò vt ſeorſim ab eo in quo ineſt nequeat exiſtere: Ratione prioris excluditur ſolus Deus, qui nulli propriè ineſt, & tamen omnia replet: Ratione ſecundi excluduntur omnes partes ſubſtantiales: forma, & materia: Ratione tertij excludũtur omnes omnino Subſtantiæ, quæ, licet inſint aeri, vel alteri continenti, tamen ab illo poſſunt ſeparatim exiſtere.

Quæres 2. Quotuplex ſit Subſtantia. ℞. Duplex: alia dicitur prima, & ſunt omnia, & ſola indiuidua, alia ſecunda, & ſunt omnia vniuerſalia, & ratio huius diuiſionis eſt, quia indiuidua participãt perfectius rationem Subſtantiæ, quàm vniuerſalia, cum vniuerſalia quodammodo inſint ipſis indiuiduis.

Quæres 3. Quę ſint proprietates Subſtantiæ. ℞. Sex numerantur, quarum prima eſt, *quod nunquam ſit in ſubiecto* modo expoſito, & hoc eſt illi proprium quartò modo. Secunda eſt, quod vniuocè prædicetur de ſuis inferioribus, & hoc eſt illi proprium ſecun-

do modo. Tertia eſt, quod importet *hoc aliquid*, & hoc eſt illi proprium primo modo, quia non conuenit omni ſubſtantiæ, ſed ſoli primæ, eſt autem *hoc aliquid* ens ſingulare per ſe. Quarta eſt, quòd Subſtantiæ nihil eſt contrarium, quod intellige de contrarietate ſtrictè ſumpta, pro ſe expellentibus ex ſubiecto, quia cum ſubſtantia non ſit in ſubiecto, nō poteſt ex ſubiecto expelli, de quo in Poſtprædicamentis; vndè ignis, & aqua non ſunt contraria ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum proprias ſuas qualitates, calorem ſcil. & frigus, & hoc eſt proprium ſecundo modo: reſpectu Subſtantiæ. Quinta eſt, quòd Subſtantia non ſuſcipit magis, & minus: pro quo ſciendum, ſuſcipere magis, & minus eſſe, quoties aliqua forma firmius, vel debilius inhæret ſubiecto ſecundum eaſdem partes, nàm ſi ſecundum diuerſam ſubiecti partem intelligatur, non ſuſcipiet magis, ſed maius; patet autem Subſtantiæ id non competere quia in ſubiecto non eſt; Exemplo rem ſic declaro: dum manus apponitur igni prius incipit calefieri, at dum diutius applicatur creſcit calor dupliciter, extenſiuè, & intenſiuè: extenſiuè dum ad vlteriores partes ſe extendit, puta brachium, & tunc dicitur ſuſcipere maius: intenſiuè autem, dum in ipſa eadem manu maior fit calor, & hoc dicitur, intenſio, ſeu ſuſcipere magis, & oppoſitum dicitur remiſſio, ſeu minus ſuſcipere; hoc autem eſt illi proprium ſecundo modo: ſexta proprietas eſt, quòd ſit ſuſceptiua cōtrariorum, quòd eſt illi proprium primo modo, quia non conuenit omni, vti patet in igne.

Caput

QVæres 1. Quid ſit Quantitas. ℞. Cum Ariſt. hìc: *Quantitas eſt ſecundùm quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquod*, vel clarius cum eodem 5. Metaph. cap. 13. *Quantum eſt quod in inſita diuiſibile eſt*; vndè ſecundùm quod aliquid eſt diuiſibile ſecundùm hoc dicitur quantum, de quo clarius in Metaphyſica.

Quæres 2. Quotuplex ſit Quantitas. ℞. Diuiditur multipliciter ſecundùm hanc acceptionem, nàm omitto Quantitâtem virtutis, quæ huc propriè non ſpectat, ac primò diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam. Permanens eſt cuius omnes partes ſimul exiſtunt, vt Corpus. Succeſſiua cuius partes non omnes ſimul exiſtunt, ſed inuicem ſuccedũt, vti Tempus. Secundo diuiditur in cõtinuam, & diſcretam. Cõtinua eſt, cuius omnes partes inuicem cohærent, & vnitæ ſunt, vt Linea. Diſcreta eſt, cuius partes non ſunt ſimul vnitæ, vt Numerus. Continua deinde diuiditur in Lineam, Superficiem, & Corpus: Linea eſt, quæ continuatur in longum tantùm; Superficies, quæ in longum, & latum tantùm; Corpus autem, quod in longum latum, & profundum diſtentitur. Tertiò diuiditur quantum, in quãtum per ſe, & per accidens: per ſe ſunt omnia enumerata: per accidens omnia alia, quæ ratione coniuncti quanta dicuntur: ſic Motus dicitur longus ratione temporis, quo durat.

Quæres 3. Quæ ſint proprietates Quantitatis. ℞. Prima eſt, quòd vna Quantitas non

eſt alteri contraria; nec enim bicubitus eſt contrarius tricubito, ſed ab ipſo includitur: ſecunda eſt, quòd Quãtitas non ſuſcipit magis,& minus,quòd intellige, vt ſuprà de ſubſtantia, nec enim tricubitus eſt magis quantitas, quam bicubitus, ſed maior extenſiuè; tertia eſt quòd æqualitas, & inæqualitas ſtimatur à Quantitate:Quarta eſt quod Quantitas ſit diuiſibilis,quinta quod ſit ratio mẽſurandi.

Caput 3. De Relatione.

QVæres 1. Quid ſit Relatio, ſeù ad aliquid. R. cùm Ariſtotele, *Sunt ea quorum eſſe idem eſt ei quod eſt ad aliquid aliquo modo ſe habere* ſenſus eſt Relatiua ſunt, quorum eſſe conſiſtit in reſpectu ad aliud, vti *pater, frater, ſimile &c.* hic autem notandæ ſunt aliquarum vocum acceptiones: ac primò *Relatio* quæ eſt ipſa ratio formalis reſpiciendi aliud, vt *paternitas reſpectu patris;* ſecundò *Relatiuum,* & eſt ipſum ſubiectum in quo eſt Relatio, tertio *Correlatiuum*, quod præter Relationem,quã fundat aliam quoque terminat; vti *pater,* qui fundat Relationem *paternitatis*, & terminat *filiationem*; & è conuerſo accidit in filio. Quartò *fundamentum,* Relationis,quod eſt cauſa, cur aliquid referatur: ſic *albedo* inter duos parietes eſt fundamentum Relationis ſimilitudinis. Quinto *Terminus*, & eſt ſubiectum in quo terminatur Relatio, ſic *filius* eſt terminus Relationis *paternitatis*, quo in ipſum *paternitas* à *patre* fertur.

Quæ-

Quæres 2. Quotuplex ſit Relatio. R. multipliciter diuiditur, ac primò in mutuam, & non mutuam: Mutua eſt in qua extrema ſe mutuo reſpiciunt, vt *paternitas*, & *filiatio*. Non mutua, in qua vnum reſpicit aliud, ſed non è conuersò, ſic *ſcientia* reſpicit *ſcibile*, ſed non mutuò reſpicitur: Secundò diuiditur in Relationem æqui parantiæ: ideſt. Quando vtrumque extremum ſub eadem ratione, & nomine reſpicit alterum, vt *fraternitas*, *ſimilitudo &c.* & diſquiparantiæ, quando hoc non contingit, vt inter *patrem* & *filium* tertiò diuiditur in Relationem realem, & rationis. 1. Relatio eſt quando fundamentum Relationis, & vtrumque extremum reale eſt, vt *fraternitas*: rationis eſt, quando in aliquo horum deficit, vt Relatio vniuerſalis ad ſua inferiora. Diuiditur 4. in Relationem ſecundum eſſe, & ſecundum dici Relatio, ſecundum dici eſt cuius extrema non pure reſpiciunt inuicem ſub ratione relatiua, vt Relatio inter *cauſam*, *quà cauſa eſt & effectum, quà effectus eſt.* Secundum eſſe eſt, quę reſpicit terminos pure ſub ratione relatiua, vt Relatio inter *cauſam*, *& effectum*, non præcisè, quà *cauſa*, vel *effectus* ſunt, ſed vt ſe purè reſpiciunt; Quinto diuiditur in prædicamentalem, & traſcendentalem; pro cuius intelligentia duas ponam inter illas differentias, prima eſt, quòd prædicamentalis ſit verum accidens aduueniens rei iam completè in ſuo eſſe conſtitutæ; alia verò ſæpè eſt reſpectus ſubſtantialis intrinſecus ſuo ſubiecto: prioris exemplum eſt *Paternitas*; poſterioris Relatio *materiæ*, 1. ad

for-

formam; ſecunda differentia eſt, quòd prædicamentalis reſpicit ſuum terminum purè ſub ratione termini, non poſterior vndè quoad hoc coincidit cum Relatione ſecundùm eſſe, & ſecundùm dici. Diuiditur 6. in Relationem aduenientem extrinſecùs, & intrinſecùs: intrinſecùs aduenjens eſt, quæ neceſſariò ponitur poſitis extremis, vt *ſimilitudo* inter duos parietes albos, extrinſecùs aduenjens eſt, quæ non neceſſariò ponitur poſi s extremis, vt *vnio* inter partes eiuſdem corporis.

Quæres 3. Quæ ſint proprietates Relatiuorum R. quinquè pot ſſimum aſſignantur, prima eſt, quòd ſint contraria, de qua contrarietate infrà cum Ariſt. in poſt prædicamentis videb mus, ſecunda Relatiua dicuntur ad conuertentiam, ideſt ſe mutuo important, quod tamen non valet, niſi de Relatione mutua 3. eſt Relatiua eſſe ſimul Natura, quæ autèm ſint ſimul Natura infrà in Poſtprædicamentis ſimul cum Philoſopho exponimus 4. eſt, vnum Relatiuum non poteſt ſine alio perfectè cognoſci: Ratio ſumitur ex eorum definitione, quia eorum eſſe eſt ad aliud: ergo vt illorum eſſe cognoſcatur debet aliud quid cognoſci. Quinta eſt, quòd Relatiua ſuſcipiunt magis, & minus, quod quidem verè non eſt proprium Relationis, quippè, nec omni, nec ſoli conuenit, non conuenit enim *Patri*, & conuenit etiam *qualitati* tunc autem ſuſcipit, quando fundamentum eſt in Prædicamento, quod ſuſcipit magis, & minus, vt in Qualitate, veluti *ſimilitudo alborum*: aliàs non.

Caput

QVæres 1. Quid ſit Qualitas. R. definitur hic ab Ariſtotele *Qualitas eſt ſecũdùm quam quales eſſe dicimur* circà cuius definitionis difficultatem, quæ obijciantur vide in Metaphyſica; interea exemplum ſit: *albedo* eſt à qua *albi* eſſe dicimur.

Quæres 2. Quotuplex ſit. R. Quadrupliciter diuiditur, ac primo in Habitum, & Diſpoſitionem; eſt autem Habitus Qualitas acquiſita, vel infuſa valdè irradicata in ſubiecto, ita vt difficulter ab ipſo ſit motu vti, cum quis ita benè citharizat, vt difficulter ab ipſo talis Qualitas ſit mobilis, dicitur Habitus citharizandi; quod ſi facilè ſit mobilis, dicitur diſpoſitio, 2. Diuiditur in naturalem Potentiam, & Impotentiam: prior eſt quęuis virtus aliquid naturaliter faciendi, vel reſiſtendi, vti *durities in ferro*; *fortitudo in animali*, poſterior è contra eſt defectus in his, *vt mollities ceræ ad ignem, vel radios ſolares*. Diuiditur tertiò in Paſſionem, & Paſſibilem Qualitatem: ſunt autem Qualitates vnico ſenſu exteriori perceptibiles, vel affectiones appetitus, vti *Albedo*; *ſonus ira* &c. cumque facilè à ſubiecto amouetur, Paſſibilis qualitas dicitur, & cum difficulter, tunc dicitur Paſſio. Diuiditur 4. in Formam, & Figuram quæ ſunt ſpecies Qualitatis circa Quantitatem, quæ cùm naturalis eſt dicitur Forma cum artificialis, dicitur Figura iuxta verſum *Formam viuentis* (ideſt naturalis) *picti* (ideſt artificialis) *dic eſſe figuram*.

Quæres 3. Quæ ſint proprietates Qualitatis

tat s. R. Tres aſſignantur: prior eſt quod ſuſcipiat magis, & minus, quod intellige de Quaſi in concreto, non de Qualitate in abſtracto quod patet inductione vnum enim *album* dicitur *magis album*, vel *minus* altero, ſed non vna *albedo* dicitur *magis albedo* altera, cuius rationem v. in lib. de gener. & corrup. ſecunda eſt, quod habeat contrarium, & patet in *albedine*, *& nigredine*, ſertia eſt, quod ſit ratio ſimilitudinis, ſicut quantitas æqualitatis de quo latius in metaphyſica.

Caput 5. De reliquis ſex Prædicamentis.

QVæres 1. Quæ ſit Actio, & Paſſio. R. Ambas vnico queſito expedio, quia ambarum eadem eſt ratio. Eſt autem Actio, quà vnum imprimit ſuam virtutem in aliud. Paſſio è contra eſt receptio virtutis alterius, vti *calefactio actiua, & paſsiua: actiua* eſt in *igne* v. g. *calefaciente lignum*, *paſsiua in ligno recipiente calorem ignis.*

Quæres 2. Quæ ſint harum proprietates R. duæ communiter aſſignantur: prior eſt, quòd ſuſcipiant contrarium, vt patet in *calefactione*, & *frigefactione*, poſterior, quòd ſuſcipiant magis, & minus, vnum enim magis agit, quàm alterum.

Quæres 3. Quod ſit prædicamentum Situs. R. Situs eſt certa partium poſitio, vti *ſeſsio* duas habet proprietates, quod, nec magis, nec minus ſuſcipiat, nec contrarium habeat.

Quæ-

Quæres 4. Quod ſit prædicamentum Quando. R. Eſt *Tempus cum connotatione alterius rei*: tres habet proprietates, prima eſt, quòd, nec magis, nec minus ſuſcipiat, ſecunda, quòd contrarium non habeat, tertia, quòd ſola corruptibilia complectatur.

Quæres 5. Quod ſit prædicamentum Vbi. R. Eſt *Circumſcriptio, ſeù præſentia rei in loco.* Duę eius ſunt proprietates: prima, quòd contrarium non habeat: ſecũda, quòd nec magis, nec minus ſuſcipiat.

Quæres 6. Quod ſit prædicamentum Habitus R. Hic aliter ſumitur, quàm in diuiſione Qualitatis ſuprà, eſt autem *Forma aliqua intrinſeca illius, qui rem habet*, duaſque habet proprietates: prima eſt, quòd non habet contrarium: ſecunda, quòd ſuſcipit magis, & minus; ſex autem recitantur habendi modi, quos, vt parum vtiles, omitto, diffuſius alibi de omnibus prædicamentis diſcurſurus.

Tractatus Quintus.

De Poſtprædicamentis.

Cap. 1. de Repugnantibus.

Quæres 1. Quę ſint Repugnantia. R. Notandum eſt Ariſtotelem hic non agere de propoſitionibus repugnantibus, nam de his infrà in lib. Perihermenias, ſed de rebus, ſunt autem *duo entia diuerſa, quæ non poſſunt ſimul intrinſecè vniri*, vti *homo, &*

 equus,

equus, albedo, & nigredo.

Quæres 2. Quotuplicia ſint Repugnantia. R. Duplicia ſcil. Oppoſita, & Diſparata: Diſparata ſunt, *quę, licet repugnent, habent tamen aliquid, quod ipſis in eodem genere oppoſitionis magis, vel æqualiter repugnat*, vt *homo*, & *equus*, quę quidem repugnant, ſed habent aliquid, quod ipſis æquè repugnet, vti *bouem*. Oppoſita ſunt, *quæ ęqualiter ſibi in eodem genere repugnans non habent*, vti *calor*, & *frigus*.

Quæres 3. Quotuplicia ſint Oppoſita. R. Quatuor horum numerantur ſpecies, ſcil. Contraria, Relatiua, Priuatiua, & Contradictoria. Contraria ſunt, *quę cum ſub eodem genere ponantur, maximè à ſe inuicem diſtant, & ſe mutuò à ſubiecto expellunt*, vt *albedo*, & *nigredo*, *amaritudo*, & *dulcedo*: horum iterum duo ſunt genera, mediata, & immediata; mediata ſunt, *quæ habent medium*, vti *calor*, & *frigus*, inter quæ mediat *tepiditas*: immediata ſunt, *qui medium non habent in ſubiecto, in quo nata ſunt recipi*, vti *ſanitas*, & *ægritudo* reſpectu *animalis*.

Relatiuè oppoſita ſunt duo relatiua, vti *pater*, & *filius*, quia impoſſibile eſt, hæc duo in eodem, reſpectu eiuſdem, reperiri.

Priuatiua ſunt Forma, & eius Priuatio; eſt autem *Priuatio abſentia formæ à ſubiecto capaci*, vti *cæcitas* reſpectu *hominis* ad diſtinctionem puræ negationis, quæ dicitur reſpectu incapacis, vt *non viſio* reſpectu *lapidis*.

Contradictoria ſunt, cùm terminus finitus redditur infinitus, & diffinitur *oppoſita, quæ nullum habent medium in natura* fit autem terminus infinitus præponendo illi *Tó non* vt dicen-

dicendo *homo, non homo*; duplex autem eſt negatio *non*, alia negans, alia infinitans: negans eſt, cùm præponitur copulæ, ſeu verbo propoſitionis, vti *Petrus non eſt equus*, alias eſt infinitans, vt *non homo*; dicuntur autèm nullum habere medium, quia quidquid eſt in natura, neceſſe eſt alterutrum eſſe; omnia enim sũt *homo*, vel *non homo*, & ſic de reliquis.

Caput 2. de modis Prioris, & Simul.

QVæres 1. Quotupliciter aliquid dicatur prius altero. ℞. Quintupliciter, primò prioritate temporis, ſic *Plato* fuit prior tempore, quàm *Ariſtoteles*; ſecundo natura, quòd fit, quando vnius exiſtentia infertur ab alio, non è conuersò, ſic *animal* dicitur prius natura, quàm *homo*, quia ab homine infertur, ſed non viciſſim infert; tertiò ordine, ſic *exordium* in oratione præcedit *narrationem*, quartò dignitate, ſic *Rex* eſt prior *ſubditis*, quintò cauſalitate, ſic *cauſa* eſt prior *effectu*; vndè verſus

Tempore, natura prius, ordine, dic, & honore.
Et cauſa effectu dicitur eſſe prior.

Quæres 2. Quotupliciter aliqua dicantur ſimul. ℞. Tres modi ſimul ab Ariſt. aſſignãtur. Primus eſt Tempore, ſic *gemelli* dicuntur ſimul tempore nati, ſecundus Natura, quæ ſe mutuo inferunt in obliquo, vt relatiua, ſic *pater* infert *filium* & è conuersò, tertius modus eſt partium diuidentium, ſub quo veniunt omnes *ſpecies*, & *differentiæ* diuidentes vnum *genus*.

Quæ de motu reſtant v. in Phyſicis.

Tractatus Sextus.

In libros Ariſtotelis Perihermenias, ſeù de Interpretatione.

VT pateat ordo, quem tenet Ariſtoteles circa obiectum Logicæ, quæ ſunt tres mentis operationes, nota, quòd huc vſque de prima mentis operatione tractauerit, quam continuat in principio huius libri 1. Perihermenias tractans de nomine, & verbo poſtea aggrediens ſecundam mentis operationem, ſeù enuntiationem vſque ad libros Priorum, vbi tertiam mentis operationem exponit: vndè ſit.

Caput 1. De Nomine, Verbo, & Oratione.

QVæres 1. Quid ſit Nomen. R. Cum Ariſt. Eſt *vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes per ſe nihil ſignificant declinabilis per caſus,* vt, *leo, homo,* &c.

Dices multorum Nominum partes per ſe aliquid ſignificant, ergò non eſt bona definitio: Antec. patet in ly *Dominus* nàm *do,* & *minus* per ſe ſine dubio aliquid ſignificant; ergo &c. R. Significare quidem aliquid per accidens ſed hoc in ratione illius *dominus* non conſideratur.

Quæres 2. Quid ſit Verbum. R. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum, quæ conſignificat tempus, cuius nulla pars ſignificat extra, & eſt ſemper eorum, quæ de altero dicuntur nota.* Ad intelligentiam huius definitionis aduerte, circa

ca hanc particulam, *quæ conſignificat tempus* illam non intelligi de quatuis temporis conſignificatione, nam ſic etiam *hora* ſignificat tempus, & *cęna*, & *prandium* tempus connotāt,& tamen ſunt nomina; ſed intelligitur de certa temporis differentia præſenti, præterito,vel futuro, *cuius nulla pars ſignificat extra*, id eſt per ſe ſeparatim, vt de nomine dixi, *& eſt ſemper eorum, quæ dicuntur nota*, ſcil. notat connexionem extremorum in propoſitione.

Quæres 3. Quid ſit Oratio. R. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſeparatę aliquid ſignificant, vt dictio, & non vt affirmatio, vel negatio*: dicitur *cuius partes*, &c. quia Oratio componitur ex Nomine, & Verbo, vel pluribus Nominibus, quæ per ſe aliquid ſignificant, *vt dictio, & non* &c. quia partes Orationis ſunt ſimplices, & conſequenter ſignificant, *vt dictio*: non vt *affirmatio, & negatio*, quia hæ compoſitæ ſunt.

Quæres 4. Quotuplex ſit Oratio. R. Duplex: perfecta, & imperfecta: perfecta eſt, quæ perfectum habet ſenſum; imperfecta, quę imperfectum. Prior, alia eſt enuntiatiua, de qua cap. ſequenti,& non enuntiatiua,quę rurſus varias habent ſpecies, vel Grammaticis notas.

Cap. 2. De Enuntiatione.

QVæres 1. Quid ſit Enuntiatio. R. Eſt *Oratio verum, vel falſum ſignificans*, vel vt verbis Ariſt. vtar: eſt *alicuius de aliquo affirmatiua, negatiuaue Oratio*, vti

 Petrus

Petrus eſt homo: Petrus non eſt homo, quarum prior eſt vera,& affirmatiua, poſterior falſa, & negatiua.

Quæres 2. Quotuplex ſit Enuntiatio. ℞. Alia eſt Cathegorica,vel ſimplex,in qua aliquid de alio ſimpliciter affirmatur, vel negatur,vt in exemplis allatis;alia compoſita, vel hypotetica, in qua aliquod de alio dicitur ſub conditione,vt *ſi Sol lucet dies eſt*, vel ſub coniunctione,vti *Petrus eſt homo, & albus*, vel ſub diſiunctione, vt *Petrus eſt homo, vel brutum*; alio modo diuiditur in enuntiationem de ſecundo adiacente, in qua duo tãtùm ſunt termini, vti *Petrus eſt*, & de tertio adiacente, in qua tres ſunt termini, vti *Petrus eſt homo*.

Quæres 3. Quid requiratur ad veritatem propoſitionis hypotheticæ conditionalis. ℞. Ex viſis colligitur hypotheticam eſſe triplicem, conditionalem,copulatiuam, & diſiunctiuam; nam, quæ ab aliis illatiua additur,argumentatio eſt,non propoſitio. Conditionalis ergo eſt in qua aliquid dicitur ſub conditione,& reperitur hæc particula *ſi*.Copulatiua in qua reperitur ly *&*. Diſiunctiua, in qua reperitur ly *vel*; modò quæritur de conditionali, & dico ad illius veritatem nihil aliud requiri, quàm bonam cohærẽtiam conditionis cum conditionato, vt in exemplo allato, *ſi lucet ſol,dies eſt*, nàm hæc vera eſt etiam de nocte propter ſolam neceſſariam cohærentiam.

Quæres 4. Quid ad veritatem copulatiuæ requiratur. ℞. Requiri veritatem vtriuſque partis, nàm alterutra falſa, tota propoſitio erit

erit falſa, vti, ſi dicam *Petrus* eſt *homo*, & *albus* ad veritatem requiritur, quod vtraque pars in *Petro* reperiatur ad falſitatem defectus vnius partis ſufficiet, puta ſi ſit *Aethiops*, ſeu *non albus*.

Quæres 5. Quid ad veritatem diſiunctiuæ requiratur. ℞. Sufficere, & requiri veritatem vnius tantùm partis, vt ſi dicam *Petrus eſt homo, vel equus* ſufficit veritas alterutrius, puta, quòd ſit *homo*, vt tota propoſitio verificetur.

Quæres 6. Quæ ſit quidditas propoſitionis. ℞. Quidditas attenditur penès diuiſionem poſitam ſupra quæſito 2. ſi propoſitio ſit ſimplex, vel compoſita, vndè, dum quæritur, quę ſit propoſitio, dicendum eſt ſimplex, vel compoſita.

Quæres 7. Quæ ſit quantitas propoſitionis. R. Hæc attenditur penès vniuerſalitatem, particularitatem, indefinitatem, & ſingularitatem, vndè dum quæritur, quanta ſit, dicendum eſt vniuerſalis, vel particularis, vel &c. Eſt autem propoſitio vniuerſalis cuius ſubiecto præponitur ſignum vniuerſale puta *omnis*, vel *nullus*, vt *omnis homo eſt animal*: particularis eſt, cui proponitur vox particularis, vt *aliquis*, *quidam*, *aliquis non*, vt *aliquis homo eſt albus*. Indefinita eſt, cui nullum ſignum præponitur, ſed ſubiectum eſt vniuerſale, vt dicendo *homo ridet*. Singularis eſt, cui nullum præponitur ſignum, ſed ſubiectum eſt indiuiduum, vt *Petrus eſt albus*.

Quęres 8. Quæ ſit qualitas propoſitionis. ℞. Hæc attenditur penès affirmationem, vel negationem, vndè dum quæritur qualis ſit

 pro-

propoſitio dicendum eſt affirmatiua, vel negatiua: eſt autem negatiua propoſitio cuius copulę, ſeù verbo præponitur ly *non*, vel ſaltem, cui præponitur ſignum negatiuum puta *nullus*, aliàs eſt affirmatiua. Exemplum ſit *omnis homo non eſt albus*, *nullus homo eſt albus* ſunt negatiuæ: hæc autem *homo eſt albus* eſt affirmatiua, vnde verſus.

Quæ ca, vel hyp; Qualis, ne vel af. vn, Quanta par, in, ſin.

Exemplum ſit: Quæro de hac propoſitione *omnis homo eſt doctus*.

Quæ eſt? ℞. Cathegorica.

Qualis eſt? ℞. Affirmatiua.

Quanta eſt? ℞. Vniuerſalis.

Pro clariori intelligentia nota, in propoſitione ſemper tria concurrere, ſaltem implicitè; ſcil. ſubiectum, prædicatum, & copulam. Subiectũ eſt res, de qua aliquid dicitur. Prædicatum eſt res, quæ dicitur. Copula eſt verbum e.g. in hac propoſitione *homo eſt animal* ſubiectum eſt *homo*, quia de illo aliquid dicitur, prædicatum eſt *animal*, quia eſt id, quod dicitur de homine, copula eſt ly *eſt*; dix *ſaltem implicitè*, quia in propoſitionibus de ſecundo adiacente explicitè non habetur prædicatum, vt patet in hac *Petrus eſt*.

Cap. 3. De Oppoſitione Propoſitionum.

QVæres 1. Quæ ſint propoſitiones Oppoſitæ ℞. Cum Philoſopho *ſunt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, non æquiuoce*; vbi nota diſtinctionem inter oppoſita, & oppoſitas; oppoſita enim

ſunt

ſunt res, de quibus in Poſtprædicamentis: Oppoſitæ autem ſunt propoſitiones, de quibus hic: Dicitur autem *affirmatio, & negatio*, quia oppoſitarum vna debet eſſe negatiua, altera affirmatiua, *eiuſdem* ſcilicet prædicati *de eodem* ſcil. ſubiecto, *non æquiuocè*, quia ſi ſubiectum, vel prædicatum ſumatur æquiuocè nulla eſt oppoſitio, vt ſi dicam *canis latrat*, & *canis non latrat*, ſumendo ly *canis* in vna pro ſtella, in alia pro animali.

Quæres 2. Quotuplices ſint Oppoſitæ. R. Quadruplices ordinariò aſſignantur, contrariæ ſcil. ſubcontrariæ, contradictoriæ, & ſubalternæ, quarum duas puto reijciendas, vt infrà.

Quæres 3. Quæ ſint Contrariæ. R. Eſſe duas oppoſitas vniuerſales, vt *omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus*. Harum oppoſitarum regula eſt, quòd numquam poſſint eſſe ſimul verę, benè autem ſimul falſæ, & ratio deſumitur ex eo, quòd datis Contrarijs veris ſequitur duas eſſe Contradictorias veras, quod tamen lumini naturali ita repugnat, vt nihil vltra. Sequela probatur inductione, nàm datis veris his duabus contrarijs *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus*, ſequitur etiam has eſſe veras *aliquis homo eſt albus*, & *aliquis homo non eſt albus*, quia ex veritate propoſitionis vniuerſalis ſequitur veritas particularis, vt in ſubalternis oſtendam, ſed in iſtis quatuor propoſitionibus duæ ſunt contradictoriæ: ergo ſi ex veritate cōtrariarum ſequitur veritas ſuarum ſubalternarum, ſequitur contradictio: hoc ſic oſtendo, quia omnes illæ propoſitiones ex ſup-

ſuppoſitione ſunt veræ ergo verum eſt *omnis homo eſt albus*, & *aliquis homo non eſt albus*, quod eſt contradictio, & iterùm *nullus homo eſt albus*, & *aliquis homo eſt albus*, quod eſt alia contradictio; quòd autem poſſint eſſe ſimul falſæ, ſic oſtendo, nàm poteſt fieri in contingentibus, quòd vtraque particularis ſit vera dicendo *aliquis homo eſt albus*, vt *Europeus*, ergo falſa iſta *nullus homo eſt albus* quia eſt contradictoria priori; iterùm vera eſt *aliquis homo non eſt albus*, vti *Aethiops*, ergo falſa eſt *omnis homo eſt albus*, ecce quomodo falſæ ſint ſimul hæ contrariæ *omnis homo eſt albus*, & *nullus homo eſt albus*. Ad ſciendum autèm, quā do vtraque ſit falſa, vel vna vera, ſcito, quòd in materia neceſſaria ſemper vna eſt vera, in contingenti ambæ ſunt falſæ.


Quæres 4. Quæ ſint Subcontrariæ. ℞. Eſſe duas oppoſitas particulares, vt *aliquis homo eſt doctus*, *aliquis homo nō eſt doctus*. Huius oppoſitionis regula eſt, quòd ambę poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti, ſed non ambæ falſæ, ſed ſemper vna vera in materia neceſſaria; prima pars patet ex dictis, quia ſi vniuerſales oppoſitę ſint ambæ falſæ, neceſſariò ambę ſubcontrariæ ſunt ſimul veræ. Hoc ſic explico, ſi falſa ſit hæc propoſitio *omnis homo eſt doctus*, vera eſt hæc *aliquis homo non eſt doctus*, quia ſunt contradictoriæ, & ſi falſa eſt hæc *nullus homo eſt doctus*, eadem ratione vera eſt *aliquis homo eſt doctus*: ecce ergo, quòd veræ ſint hę Subcontrariæ *aliquis homo eſt doctus*, & *aliquis homo non eſt doctus*.

Quæ-

Quæres 5. Quæ ſint Contradictoriæ. R. Eſſe oppoſitas, quarum vna ſit vniuerſalis, altera particularis, vt *aliquis homo eſt animal*, & *nullus homo eſt animal*, quarum regula eſt, quòd ſi vna ſit vera, altera ſit falſa, & è conuersò, nec alia huius ratio reddi poteſt, cùm non niſi mente captus hoc non videat.

Quæres 6. Quæ ſint Subalternæ. R. Eſſe duas propoſitiones, quæ cōſtant eodem prædicato, & eodē ſubiecto eiuſdem qualitatis, ſed diuerſæ quantitatis, vt *omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal*: harū vniuerſalis dicitur Subalternās, & particularis Subalternata, & hanc habent regulam, quòd ex veritate Subalternantis ſequitur veritas Subalternatæ, non è contrà, ſed ex falſitate Subalternatæ ſequitur falſitas Subalternantis, non è cōtrà, ſic, ſi vera hęc *omnis homo eſt animal*, neceſſariò vera eſt *aliquis homo eſt animal*, ſed non quia *aliquis homo eſt doctus*, verum eſt *omnis homo eſt doctus*, item ſi falſa eſt hæc *aliquis homo eſt doctus*, falſa eſt *omnis homo eſt doctus*, ſed non quia falſa eſt *omnis homo eſt doctus*, etiam falſa eſt *aliquis homo eſt doctus*. Et ratio eſt, quia veritas eſt de genere boni, falſitas de genere mali, bonum autem conſtat ex integra cauſa; malum ex quolibet defectu, ideò deficiente parte, qualis eſt Subalternata in veritate etiam deficit Subalternans, quæ eſt quoddam totum vniuerſale, & quia veritas totius (vtpotè bonum) arguit veritatem partium, ideò veritas Subalternantis arguit veritatem Subalternatæ, quæ vt omnia clarius intelligantur inſpice ſequentem Tabulam.

Tabula oppoſitarum.



Quæres 7. An ſubalternæ, & Subcontrariæ ſint veræ oppoſitæ. ℞. Ab omnibus ferè cum Ariſt. inter oppoſitas locari: verùm (præciſa Ariſtotelis auctoritate) mihi placet oppoſitum: & pono pro fundamento definitionem oppoſitarum traditam ab Ariſtotele ipſo hìc *affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, non æquiuocè*, ac primò de Subalternis facilis videtur ratio; tantum enim abeſt, vt opponantur, vt vna inferat aliam, nec ſunt affirmatio, & negatio, & conſequenter nec oppoſitæ: de Subcontrarijs difficilior videtur quæſtio, ſed facilis inſpicienti, quod ſic probo: ſi Subcontrariæ eſſent Oppoſitæ nũquam ſimul poſſent verificari, quod eſt contra omnes, ergo &c. ſequelam ſic probo, ſi enim in his ſubcontrarijs *aliquis homo eſt doctus, & aliquis homo non eſt doctus*, ly *homo*, & ly *doctus* ſumuntur ſecundum idem, impoſſibile eſt hoc de eodem verificari, vt quiſque concedet, quòd ſi dicatur, hoc non verifica-

fica-

ſicari de determinatis indiuiduis, ſed de homine in ſpecie: contrà, quia primò in contrarium eſt Ariſt. qui ſubcontrarias ſic deſinit. *in quibus de vniuerſali* (puta *homine*) *non vniuerſaliter enuntiatur*, vbi per ly *non vniuerſaliter* deſignat, non ſumendum eſſe de *homine* in vniuerſali, ſed in particulari, ſecundò hæc ſolutio ſeipſam deſtruit, quia ſic erunt Contrariæ, nec poterunt equidem veriſicari, vndè concludo, nec ſubcontrarias, nec Subalternas oppoſitas eſſe.

Quæres 8. Ad quam ſpeciem oppoſitarum pertineant propoſitiones ſingulares. R. Reductiuè ſpectant ad Contradictorias, non quòd verè ipſis competat deſinitio Contradictoriarum, ſed regula, ſcilicet, quòd non poſſint ſimul eſſe veræ, nec ſimul falſæ, vt patebit conſideranti.

Caput 4. De Regula Contradictoriarum in ordine ad futura contingentia.

QVæres 1. Quomodo in futuris contingentibus valeat regula Contradictoriarum. R. Quia hæc regula videtur tollere omnem rerum contingentiam, quia futura contingentia poſſunt eſſe, & non eſſe; regula autèm contradictionis videtur vnum quodque determinare ad alterutram contradictoriarum, nàm abſolutè vera, vel falſa eſt hæc propoſitio *Petrus erit*; ſi vera, ergò falſa eſt contradictoria *Petrus non erit*; ergo tollitur illius contingentia; nihilominus ſic concludo, dari determinatam veritatem, & falſitatem vtriuſque con-

contradictoriæ, nec enim ideò res deſinit eſſe contingens, quia æquè, dum creatura eſt, contingenter eſt, nec tamen pro tunc poteſt non eſſe, contingentia enim futuri pendet à cauſa contingenti, ſic vt abſolutè poſſit non eſſe, ſed facta tali ſuppoſitione illius determinatæ cauſæ, erit, quamuis contingenter; pro quo ſcienda eſt notiſſima hæc diſtinctio de ſenſu diuiſo, & compoſito vſitata à Theologis. Dicitur autem in ſenſu compoſito, quod procedit ex aliqua ſuppoſitione, ſic ſuppoſito, quòd Petrus iam ſit, vel futurus ſit, neceſſariò verificatur neceſſitas talis, vt impoſſibile ſit ipſum non eſſe; abſolutè tamen, & in ſenſu diuiſo, ideſt remota ſuppoſitione Petrus poteſt non eſſe; poterat enim Deus abſolutè illum non creare, & hinc ſoluitur difficultas quantum ſufficit pro Logico.

Caput 5. De aliquibus propoſitionum affectionibus propoſitis ab Ariſtotele initio ſecundi Perihermenias.

QVæres 1. Quæ ſit propoſitio infinita. ℞. Eſt illa cuius ſubiecto, vel prædicato, vel ſubiecto, & prædicato præponitur negatio infinitans, quæ autem illa ſit v. tract. 5. cap. 1. qu. 3. Exempla ſint *omne creatum eſt non Deus; omne non creatum eſt Deus; omne non animal eſt non homo.*


Quæres 2 Quomodo ſe habeant propoſitiones de vno, & pluribus terminis. ℞ Docet hìc Ariſt. quomodò aliquandò propoſitio, ſi ſubiectum, vel prædicatum ſit aliquod

quod coniunctum, ſit vera, & aliàs falſa, vel è conuersò, vt ſi dicam *homo mortuus eſt cadauer* vera eſt. Si dicam *homo eſt caduer*, eſt falſa, & huiuſmodi.

Caput 6. De Propoſitione modali.

QVæres 1. Quæ ſint propoſitiones modales. ℞. Sunt illæ, quæ præter aſſertionem, vel negationem prædicati de ſubiecto modum aſſertionis, vel negationis important; modi autem ordinariò aſſignantur quatuor, ſcil. *neceſſe*, *poſsibile*, *impoſsibile*, *contingens*, qui ſic ad inuicem ſe habent, vt duo ſint vniuerſales ſcil. *neceſſe*, & *impoſsibile*, quia, vel omni, vel nulli conuenire ſignificant; duo particulares, ſcil. *poſſibile*, & *contingens*, quia alicui conuenire, vel non conuenire important: duo item ſunt affirmatiui, puta *neceſſe*, & *poſsibile*: duo negatiui, puta *impoſsibile*, *contingens*. Vndè facilè earum oppoſitio colligitur; duæ enim particulares repugnant ſubcontrariè, ſcil. *poſsibile*, *contingens*, duæ vniuerſales contrariè, ſcil. *neceſſe*, *impoſsibile*, duo affirmatiui, vel duo negatiui ſubalternè, reliqua contradictoriè; ecce tabulam.

Neceſ-



Quæres 2. An ex parte materię omnes hi modi ſint admittendi. ℞. Senſus quæſiti eſt, an propoſitio modalis, vt demonſtrat modũ conuenientię prędicati cum ſubiecto, etiam ſecundùm conuenientiam modi cum materia ſit talis. E. g. *Petrum eſſe album eſt contingens*; quæritur, vtrum ly *contingens* contingenter cadat ſuprà illam propoſitionem, & illius materiam dicendo *Petrum contingenter eſſe album eſt contingens*, & dico negatiuè, nàm talis modus neceſſariò conuenit tali materiæ, & conſequenter *Petrum contingenter eſſe album eſt neceſſarium*, quod ſic oſtendo, quia ſi hoc non eſſet neceſſarium, poſſet aliquando eſſe falſum, quod tamen nemo concederet; ſemper enim *Petrus contingenter eſt albus*: & pariter in hac propoſitione *Petrus contingenter eſt animal*, eſt de modo contingenti, & de materia impoſſibi-

li,

li; *impoſsibile eſt enim Petrum contingenter eſſe animal, ſed neceſſariò eſt*: vndè tantùm duo ſunt admittendi modi de materia, ſcil. *neceſſarium*, & *impoſsibile*, pro quo ſciendum quòd quoties propoſitio modalis eſt falſa, dicitur de materia impoſſibili, quoties vera, dicitur de materia neceſſaria, vt patebit conſideranti.

Caput 7. De Aequipollentia, & conuerſione propoſitionum.

QVæres 1. Quæ ſit æquipollentia. ℞. eſt duarum propoſitionum idem valor per additonem, vel demptionem particulæ negatiuę; tripliciter autem additur, vel demitur negatio propoſitioni, vel præponendo, & tunc mutatur, tàm qualitas, quàm quãtitas propoſition s, & redditur æquipollens contradictoriæ, vt ſi dicam *omnis homo eſt animal*, præponendo ly *non* dico *non omnis homo eſt animal*, quæ æquiualet huic *aliquis homo non eſt animal*, quod eſt cõtradictorium priori; *non omnis* enim, & *aliquis non* idem ſignificant: quòd ſi poſt ponatur ſub ecto, & ſit propoſitio vniuerſalis, mutat ſolam qualitatem, & redditur æquipollens contrariæ, vt dicendo *omnis homo non eſt animal*, idem erit, ac *nullus homo eſt animal*; *omnis non* enim, & *nullus* coincidũt: quòd ſi præponam, & poſtponam, redditur æquipollens eius ſubalternæ, vt ex propoſitione dicta habebo *non omnis homo non eſt animal*, quod idem valet, ac *aliquis homo eſt animal*; quippe *non omnis non*, & *aliquis*

quis idem ſonant. De ſubcõtrarijs nihil occurrit, nam ſi præponatur negatio, fit contradictoria, ſi poſtponatur, fit non æquipollens, ſed ipſa ſubcontraria in terminis, ſi poſtponam, & præponam, fit ſubalterna; vndè verſus

Præ, cõtradic, poſt cõtrà, præpoſtquè ſubalter.

Quę, vt clarius in modalibus pateant, nota ſequentem rotulam, & quatuor voces, per quas erigitur, & in ſingulis vocibus quatuor vocales. Voces ſint *amabimus, edentuli, iliace, purpurea*, quarum ſingulæ quatuor ſyllabas habent, quarum primæ correſpondent *poſsibili*, ſecundæ *contingenti*, tertię *impoſsibili*, quartæ *neceſſariò*: vocales autẽ notandæ ſunt *A E I V*, & cum in modali duo concurrant, modus, & prædicatum, ſeù dictum; A deſignat omnia ponenda eſſe ſine vlla negatione, E deſignat negationem præponendam prædicato, I modo, V vtrique vnde verſus

Deſtruit V *totum, ſed* A *confirmat vtrumquè:*
Deſtruit E *dictum, deſtruit* I*que modum.*

Exemplum ſit.

Subcon-

Subcontrariæ.

Æquipollentes

A	poſſibile eſt ſortem eſſe.	E	poſſibile eſt ſortem nõ eſſe.
ma	contingens eſt ſortem eſſe.	den	contingens eſt ſortem non eſſe.
bi	non impoſſibile eſt ſortem eſſe.	tu	nõ impoſſibile eſt ſortẽ non eſſe.
mus	non neceſſe eſt ſortem non eſſe.	li	non neceſſariũ eſt ſortẽ non eſſe.

Æquipollentes

Subalternæ Contradictoriæ Contradictoriæ Subalternæ

Æquipollentes

Pur-	non poſſibile eſt ſortẽ non eſſe.	i	non poſſibile eſt ſortem eſſe.
pu	non contingens eſt ſortẽ non eſſe.	li	non contingẽs eſt ſortem eſſe.
re	impoſſibile eſt ſortem non eſſe.	a	impoſſibile eſt ſortem eſſe.
a	neceſſarium eſt ſortem eſſe.	ce	neceſſe eſt ſortem nõ eſſe.

Æquipollentes

Contradictoriæ.

Intel-

Intellige ex dictis totam, & totam modalium æquipollentiam capies.

Quæres 2. Quid ſit conuerſio. R. Eſt trāſpoſitio terminorum propoſitionis manente eadem qualitate, vt *omnis homo eſt animal* conuertitur *aliquod animal eſt homo*.

Quæres 3. Quotuplex ſit conuerſio. R. Triplex, ſcil. ſimplex, ſeù per ſe, per accidēs, & per contrapoſitionem. Per ſe eſt, quando non ſeruatur ſolùm eadem qualitas, ſed etiam eadem quantitas propoſitionis, vti *aliquod dulce eſt album, ergo aliquod album eſt dulce*. Per accidens eſt in qua mutatur quantitas vt *omne album eſt viſibile, aliquod viſibile eſt album*. Per contrapoſitionem eſt, in qua omnes termini finiti fiunt infiniti, vt *omnis homo eſt animal, omne non animal eſt non homo* hanc doctrinam applicabimus infrà reductioni ſyllogiſmorum, pro qua notandi ſunt ſequentes verſus.

FECI ſimpliciter conuertitur, EVA per acci,
AMBO per contrà, ſic fit conuerſio tota.

In quibus notandæ ſunt hę tres voces *feci, Eua, ambo,* in quibus reperies quatuor has vocales *A E I O*. *A* deſignat vniuerſalem affirmatiuam, quam deſignat conuertendam per accidens, & per contrapoſitionem, *E* vniuerſalem negatiuam conuertendam ſimpliciter, & per accidens, *I* particularem affirmatiuam conuertendam ſimpliciter, *O* particularem negatiuam conuertendam per contrapoſitionem; hinc diſtichon.

Aſſerit A, *negat* E, *ſed vniuerſaliter ambo*
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter ambo.*

Quæres 4. Quomodo conuertantur modales

dales. R. Partim reliquarum ratione conueniunt, partim non; conueniunt in hoc, quòd modalis de impoſſibili negato, & reliquis affirmatis, conuertantur iuxta communes regulas, vt ſi dicam *non impoſsibile eſt omnem hominem eſſe animal*, dicam *non impoſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem*, excipitur tamen vniuerſalis affirmat ua [illegible] modo *neceſſario*, nàm ſi dicam *neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal*, non valet *neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem*, niſi ſupponatur exiſt [illegible] ntia terminorum, vel mo us *neceſſe* mut [illegible] ur in *poſsibilem*; ſi verò propoſitio ſit de *impoſſibili* [illegible] ffirmato, vel rel qu s negat s & dictum ſit vniuerſale, non conuertuntur, [illegible] cùs ſi [illegible] ctum ſit particulare, ſic non valet *impoſsibile eſt omnem lapidem eſſe rubrum*, ergo *impoſsibile eſt aliquod rubrum eſſe lapidem*. Rel qu [illegible] pat bunt cõſi [illegible] ranti per exempla; de rel quo circa conu rſionem per contrapoſitionem ea [illegible] m eſt ratio, quæ in reliquis.

Tractatus Septimus.

In Libros Ariſt. Priorum Analyticorum, in quibus traduntur generales argumentandi rationes.

Caput 1. *De Argumentatione.*

QVæres 1. Quæ ſit Argumentatio. R. Eſt [illegible] *tio ſign[illegible] atiua diſcurſus*, ſeù in qua vnum [illegible] infertur ex alio, vti *Petrus currit, ergo mouetur*, vbi ex eo, quòd

Petrus

etrus currat; infertur quid aliud, ſcil. *erg mouetur.*

Quæres 2. Quot ſunt partes Argumentationis. ℞. Tres ſcil. Antecedens, Illatio, & Conſequens. Antecedens dicitur omne illud quod præcedit particulam *ergo*, Illatio dicitur illa particula *ergo*, & quod eam ſequitur dicitur Conſequens, vt in exemplo allato *Petrus currit* eſt Antecedens, Illatio eſt ly *ergo*, Conſequens eſt *mouetur*.

Quæres 3. Quæ ſit materia Argumentationis. ℞. Sciendum prius, quòd ſit duplex, remota ſcil. & proxima: Proxima ſunt propoſitiones, quia ex ipſis immediatè, & proximè conſtituitur argumentum: remota ſunt termini, quia, licet ad argumentum neceſſariò concurrant, non tamen proximè ſic, & immediatè, quin ex ipſis prius debeat fieri propoſitio.

Quæres 4. Quot ſint ſpecies argumentorum. ℞. Quatuor ſcil. Syllogiſmus, Entimema, Inductio, & Exemplum; alij Soritem, & Dilemma addunt.

Quæres 5. Quid ſit Entimema. ℞. *Eſt, cum ex vna propoſitione infertur conſequens*, vt *Petrus currit, ergo mouetur*.

Quæres 6. Quid ſit Inductio. ℞. *Eſt Argumentatio in qua ex particularium enumeratione infertur vniuerſalis Conſequentia*, vti *Petrus eſt albus, Paulus eſt albus, Andreas, Iacobus, &c. ergo omnes hic præſentes ſunt albi.* Bona eſt hæc Argumentatio, quoties eſt ſufficiens, & adæquata particularium enumeratio, alias non.

Quæres 7. Quid ſit Exemplum. *Eſt*

cum

cum ex particulari euentu alius ſimilis infertur, vti: *Deus pepercit latroni pænitenti, ergo & parcet Petro pænitenti.*

Quæres 8. Quid ſit Sorites. ℞. Eſt *cum multoties inferendo, tandem ad propoſitionem probandam gradatim deuenimus*, vti ad probandum Petrum eſſe ſubſtantiam ſic procedam. *Petrus eſt homo, ergo eſt animal, ergo eſt viuens, ergo eſt ſubſtantia.*

Quæres 9. Quid ſit Dilemma. ℞. *Eſt cum bimembris proponitur interrogatio, vel propoſitio, cuius partes inuicem repugnant*, vt aduerſarium alterutram illarum cogamus admittere vt: *Petrus, vel eſt homo, vel aliud animal, non aliud, ergo homo*, vſitatum eſt argumentum, & valdè vrget.

Caput 2. De Syllogiſmo.

QVæres 1. Quid ſit Syllogiſmus. ℞. Cum Ariſt. hìc cap. 1. *Syllogiſmus eſt argumentatio, in qua quibuſdam poſitis aliud neceſſariò accidit, eo quòd hæc ſint.* Dicitur *argumentatio* loco generis, nam omnis Syllogiſmus eſt ſpecies argumentationis; *in qua quibuſdam poſitis*, & non *quodam poſito*, quia antecedens Syllogiſmi debet conſtare, non vna, ſed duobus propoſitionibus, *aliud neceſſariò accidit* ideſt: neceſſariò concluditur, *eo quòd hæc ſunt*, ideſt ex vi antecedentis: pro quo ſciendum eſt argumentationem poſſe dupliciter concludere: 1. materialiter, ideſt ratione materię 2. ratione formæ, prioris generis ſunt argumentationes reliquæ; Syllogiſmus verò formaliter,

&

& neceſſariò concludit, & ex vi formæ antecedentis; & ſic quidem, vt ne per Deum quidem poſſit, admiſſo antecedenti, falſificari conſequentia, vndè fit, vt etiam in materia falſiſſima, ſi admittatur antecedens, euidentiſſimè concludat. Exempla ſint.

Omne animal eſt viuens;
Omnis homo eſt animal, ergo
Omnis homo eſt viuens.

Omne A *eſt* B;
Omne B *eſt* C, ergo
Omne A *eſt* C.

Optimè vtrobique concluditur in vi antecedentis, vt patet, potiſſimùm in ſecundo exemplo, & hoc eſt, quòd denotant hæ voces, *eo quòd hæc ſint.*

Quæres 2. Quot ſint termini in Syllogiſmo. ℞. Neceſſariò eſſe tres, quòd ſi ſint plures, vel pauciores, nihil concludet Syllogiſmus vt infrà in regulis Syllogiſmorum patebit, vnus autem illorum dicitur Maius extremum, & eſt ille, qui ponitur in maiori propoſitione, de qua quæſtio ſequenti; alter dicitur Minus extremum, qui ponitur in minori propoſitione; tertius dicitur Medium, & eſt ille, qui bis ponitur in præmiſſis.

Quæres 3. Quot ſint propoſitiones in Syllogiſmo. ℞. Etiam tres; quòd ſi ſint plures, vel pauciores, iterum nihil concludit Syllogiſmus, prima dicitur Maior, vel ſaltem quæ, licet non ſit prima, ſecundùm ordinem naturæ, tamen deberet eſſe prima, ſecunda

Mi-

Minor, tertia dicitur conſequentia.

Quæres 4. Ex quibus reſultet forma Syllogiſtica. R. Ex duobus, ſcil. Figura, & Modo.

Quæres 5. Quid ſit Fignra. R. *Eſt certa diſpoſitio Medij cum extremis,* quæ tripliciter contingit, aut ſic, vt Medium in Maiori ſubijciatur, & in Minori prædicetur, & dicitur prima Figura E. G.

Omnis homo eſt animal;
Petrus eſt homo, ergo
Petrus eſt animal.

Medium hic eſt *homo*, quia bis ponitur in Antecedenti, & in Maiori eſt ſubiectum, & in Minori eſt prædicatum propoſitionis.

Vel Medium bis eſt prædicatum, & eſt ſecunda Figura. E. G.

Omnis lapis eſt corpus;
Nullus ſpiritus eſt corpus, ergo
Nullus ſpiritus eſt lapis.

Vbi medium eſt *corpus*, quia bis ponitur in præmiſſis, & vtrobique eſt prædicatum.

Vel Medium bis eſt ſubiectum, eſtque tertia Figura, E. G.

Omnis homo eſt animal;
Omnis homo eſt corpus, ergo
Aliquod corpus eſt animal.

Vbi Medium eſt *homo,* quia bis ponitur in antecedenti, & vtrobique eſt ſubiectum.

Quæres 6. Quid ſit modus. R. *Eſt certa habitudo propoſitionum ſecundum qualitatem, & quantitatem.* Pro prima autem Figura aſſignantur nouem, quorum quatuor dicuntur directi, & perfecti; alij quinque indirecti: pro ſecunda deinde Figura aſſignantur

D qua-

quatuor: pro tertia Figura ſex, ſummatim nouemdecim contenti his verſibus.
Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum. Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Ad horum intelligentiam repete, quod ſuprà dixi *A* denotare vniuerſalem affirmatiuam, *E* vniuerſalem negatiuam, *I* particularem affirmatiuam, *O* particularem negatiuam: pro claritate ſingulorum exempla ponam, ac primò pro quatuor primis primæ Figuræ.

Bar *Omnis homo eſt animal;*
ba *Omne riſibile eſt homo,* ergo
ra *Omne riſibile eſt animal.*

Ce *Nullus lapis eſt animal;*
la *Omnis Iaſpis eſt lapis,* ergo
rent *Nullus Iaſpis eſt animal,*

Da *Omnis equus eſt animal;*
ri *Bucephalus eſt equus,* ergo
j *Bucephalus eſt animal.*

Fe *Nullum brutum eſt rationale;*
ri *Aliquod animal eſt brutum,* ergo
o *Aliquod animal non eſt rationale.*

Sequuntur nunc quinque indirecti in eadem figura, qui ideò dicuntur indirecti, quia maius extremum ponitur in conſequentia loco ſubiecti & minus extremum loco prædicati, cuius oppoſitum in alijs fit.

Ba-

Ba *Omnis planta eſt viuens ;*
ra *Omnis arbor eſt planta ,* ergo
lip *Aliquod viuens eſt arbor .*

Ce *Nullus lapis eſt animal ;*
lan *Omnis Iaſpis eſt lapis ,* ergo
tes *Nullum animal eſt Iaſpis .*

Da *Omnis equus eſt animal ;*
bi *Bucephalus eſt equus ,*ergo
tis *Aliquod animal eſt Bucephalus .*

Fap *Omne corpus eſt ſubſtantia ;*
eſ *Nullus color eſt corpus ,* ergo
mo *Aliqua ſubſtantia non eſt color .*

Fris *Aliquod viuens eſt album ;*
es *Nul lus lapis eſt viuens ,* ergo
om *Aliquod album non eſt lapis .*

Sequuntur 4. modi ſecundæ figurę.

Cę *Nullus lapis eſt animal ;*
ſa *Omnis homo eſt animal ,* ergo
re *Nullus homo eſt lapis .*

Ca *Omnis homo eſt animal ;*
meſ *Nullus lapis eſt animal ,* ergo
tres *Nullus lapis eſt homo .*

Feſ *Nullus ſonus eſt viſibilis ;*
ti *Aliqua qualitas eſt viſibilis ,* ergo
no *Aliqua qualitas non eſt ſonus .*

Ba *Omnis auis eſt volatilis ;*
ro *Aliquod animal non eſt volatile ,* ergo

co *Aliquod animal non eſt auis.*

Sequuntur 6. modi tertiæ figuræ.

Da *Omnis calor eſt ſenſibilis;*
rap *Omnis calor eſt qualitas,* ergo
ti *Aliqua qualitas eſt ſenſibilis.*

Fe *Nullum* A *eſt* B;
lap *Omne* A *eſt litera*, ergo
ſon *Aliqua litera non eſt* B.

Diſ *Aliquis homo eſt albus;*
a *Omnis homo eſt rationalis,* ergo
mis *Aliquod rationale eſt album.*

Da *Omnis homo eſt rationalis;*
tis *Aliquis homo eſt albus*, ergo
i *Aliquod album eſt rationale.*

Bo *Aliqua qualitas non eſt color;*
car *Omnis qualitas eſt accidens,* ergo
do *Aliquod accidens non eſt color.*

Fe *Nulla quantitas eſt ſubſtantia;*
ris *Aliqua quantitas eſt corpus,* ergo
on *Aliquod corpus non eſt ſubſtantia.*

Nunc ergo rationem formæ ſyllogiſticæ in exemplo dato explico: vti in primo Syllogiſmo in Barbara *omnis homo eſt animal; omne riſibile eſt homo*, ergo *omne riſibile eſt animal*. Primò notanda eſt figura, in qua medium, quod eſt *homo*, in maiori eſt ſubiectum, in minori prædicatum, omnes autèm ſunt vniuerſales affirmatiuę, vtpotè deſignatæ per lite-

literam *A*, & ſic de reliquis.

Queres 7. An admittenda ſit figura Galenica. R. Dicitur figura Galenica, in qua medium in maiori prædicatur, & in minori ſubijcitur, contrà quod fit in prima figura, e. g. *omne riſibile eſt homo; omnis homo eſt animal; ergo omne riſibile eſt animal*. Aliqui illam omnino reijciunt: ſed dicendum, quòd ſi diſponatur in debita forma neceſſariò cōcludit, licet in concludendo non ſequatur ordinem naturæ, vndè, non ideò reijcienda eſt, quia hoc ipſum contingit in ſyllogiſmis indirectis, vt in *Baralip*.

Caput 3. De regulis Syllogiſmorum.

QVæres 1. Quotuplices ſint regulæ Syllogiſmorum. R. Sunt duplicis generis: aliæ generales, quę deſeruiunt per omnes figuras, & aliæ ſpeciales, quæ deſeruiunt per aliquas tantùm figuras.

Quæres 2. Quot ſint regulæ generales Syllogiſmorum. R. 7. Prima eſt, quòd medium in aliqua præmiſſarum debeat diſtribui, ideſt ſumi vniuerſaliter; pro quo ſciendum, quænam in propoſitione dicantur diſtribui, ſcil. in vniuerſali affirmatiua ſolum ſubiectum; in vniuerſali negatiua ſubiectū, & prędicatum; in particulari affirmatiua nihil, in particulari negatiua ſolum prædicatum, vt ſuppono ex regulis ſuppoſitionum; ſi itaque medium non ponatur tali loco, vbi diximus diſtribui, nihil concludetur: hinc non ſequitur *omnis homo eſt animal; aliquod animal eſt brutū, ergo aliquis homo eſt brutum.*

Secunda eſt, quòd termini, & propoſitiones Syllogiſmi, nec ſunt plures, nec pauciores, quàm tres: hinc non ſequitur. *Omnis homo eſt animal, & rationalis; Omne brutum eſt animal, ergo omne brutum eſt homo.*

Tertia eſt, quòd termini non debent ſumi æquiuocè: Sequitur ex dictis, quia, ſi aliquis terminus ſumatur ęquiuocè, ſeruiet pro duobus terminis, & erunt plures, quàm tres termini; hinc non concludit *Omnis canis eſt animal, aliqua ſtella eſt Canis, ergo aliqua ſtella eſt animal*, quia ly *Canis* ſumitur æquiuocè.

Quarta eſt, quòd ex puris particularibus nihil ſequitur. E. g. *aliquis homo eſt doctus; Petrus eſt homo*, ergo *Petrus eſt doctus*.

Quinta eſt ex puris negatiuis nihil ſequitur: hinc non concludit *nullus homo eſt lapis; nullum animal eſt lapis, ergo nullum animal eſt homo*.

Sexta eſt, quòd ſi aliqua ex præmiſſis ſit particularis, vel negatiua, cōcluſio pariter ſit particularis, vel negatiua; patebit conſiderāti per omnes modos ſyllogiſticos.

Septima eſt, nullus terminus debet diſtribui in conſequenti, qui non fuerit diſtributus in antecedenti; hinc non ſequitur *omnis homo eſt ſenſitiuus, omne rationale eſt homo, ergo omne ſenſitiuum eſt rationale*.

Quęres 3. Quæ, & quot ſint regulæ propriæ pro prima figura. R. Duæ Prima eſt, quòd maior debeat eſſe propoſitio vniuerſalis. Secunda, quòd minor debeat eſſe affirmatiua à qua ſecunda regula excipiuntur, *fapeſmo*, & *friſeſom*, vnde carmen.

Sit

Sit minor affirmans, nec maior ſit ſpecialis.

Quæres 4. Quot ſint regulæ ſecundę figuræ. ℞. Duæ itidem. Prima eſt, quòd alterutra ex præmiſſis debeat eſſe negatiua. Secunda eſt, quòd maior debeat eſſe vniuerſalis, & ratio eſt, quia cum medium hìc vtrobìque ſit prædicatum, non diſtribueretur, ſi aliqua præmiſſa non eſſet negatiua, vndè verſus

Vna negans præeat, nec maior ſit ſpecialis.

Quæres 5. Quot ſint regulæ tertiæ figuræ. ℞. Etiam duæ. Prima eſt, quòd minor ſit affirmatiua. Secunda eſt, quòd concluſio debeat eſſe particularis, iuxta verſum

Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.

Caput 4. De Fundamentis harum Figurarum.

QVæres 1. Quod ſit fundamentum primæ figuræ. ℞. Eſſe hoc axioma. *Quidquid affirmatur, vel negatur vniuerſaliter de aliquo, affirmatur, vel negatur de omni contento ſub illo.* Sic quia valet de omni homine, quòd ſit animal, id infero de Petro in

Da *Omnis homo eſt animal;*
ri *Petrus eſt homo*, ergo
j *Petrus eſt animal.*

Et quia nego vniuerſaliter de *lapide*, quòd ſit *animal*, ideò hoc ipſum nego de *Iaſpide*, qui continetur ſub *lapide* in

Ce *Nullus lapis eſt animal;*
la *Omnis Iaſpis eſt lapis*, ergo
rent *Nullus Iaſpis eſt animal.*

Quæres 2. Quod ſit fundamentum ſecundæ figuræ. R. Eſſe ſecundum membrum fundamenti primæ figuræ, ſcil. *Quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo, negatur etiam de omni contento ſub illo*; vt in

Ca *Omnis Iaſpis eſt lapis;*
meſ *Nullum animal eſt lapis*, ergo
tres *Nullum animal eſt Iaſpis*.

Quæres 3. Cui innitatur tertia figura. R. Huic axiomati *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, eadem ſunt inter ſe*; & è contrà; hinc quia *homo*, & *ſubſtantia* aliqua ſunt idem vni tertio, puta *riſibili*, infertur etiam *hominem*, & *ſubſtantiam* eſſe idem inter ſe, vt in

Da *Omne riſibile eſt homo;*
rap *Omne riſibile eſt ſubſtantia*, ergo
ti *Aliqua ſubſtantia eſt homo*.

Caput 5. De Reductionibus Syllogiſmorum.

QVæres 1. Quid ſit Reductio. R. Pro ſolutione huius quæſiti ſcito, alios ſyllogiſmos ex modis aſſignatis dici perfectos, ideſt quorum concluſio eſt ita euidens, vt intellectum apertè cōuincat, ita vt non niſi demens illius conſequentiam poſſit inficiari, & tales ſunt Syllogiſmi in *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*: alios dein eſſe imperfectos, & ſunt omnes reliqui, non quòd non ęquè certè, ac priores cōcludant, ſed quòd eorum forma non ęquè euidenter intellectum conuincat: Modò, ad propoſitum, Reductio eſt, cum Syllogiſmus imperfectus redditur perfectus; & eſt duplex, oſtenſiua ſcil. & per impoſſibile; pro quo

Quæ-

Quæres 2. Quid ſit Reductio oſtenſiua. ℞. Eſt cum Syllogiſmus imperfectus fit perfectus per conuerſionem,& tranſpoſitionem propoſitionum, & terminorũ; pro cuius intelligentia nota quatuor ſyllogiſmos perfectos incipere ab his 4. literis *B C D F*, vt, & reliquos,hoc fine, vt, qui imperfecti à *B* inchoantur, vt *Baralip*: reducantur ad *Barbara*, qui à *C*, vt *Cameſtres*,ad *celarent*, qui à *D*, vt *Darapti* ad *Darij*, qui ab *F*, vt *Feriſon* ad *ferio*. Nota dein omnes ſyllabas horum modorum,vbi repereris *C, M, P, S*; *C* enim in medio modi notat non poſſe reduci, niſi per impoſſibile, vt *Bocardo*,*Baroco*. *M* dicit præmiſſas antecedentis, facta conuerſione eſſe tranſponendas, vt in *Friſeſom*. *P* dicit propoſitionem,ſupra quam cadit, eſſe conuertendam per accidens, *S* per ſe, hinc eſt verſus.

S vult ſimpliciter verti, P *verò per acci*,
M *vult tranſponi*, C *per impoſsibile duci*.

Et hæc eſt tota notitia Reductionis oſtenſiuæ, quam totam duobus exemplis declarabo, & primum ſit in.

Fril *Aliquis homo eſt albus*;
es *Nullus lapis eſt homo*, ergo
om *Aliquod album non eſt lapis*.

Primò inchoatur à litera *F*;ſignum eſt,quòd debeat reduci ad *Ferio*; maior, & minor ſignantur litera *S*, ſignum eſt, debere conuerti ſimpliciter,in conſequenti eſt litera *M* ſignum eſt, debere tranſponi præmiſſas,facta conuerſione, vnde dico.

Fril *Aliquis homo eſt albus;*
eſ *Nullus lapis eſt homo*, ergo
om *Aliquod album non eſt lapis.*

Aliquod album eſt homo
Nullus homo eſt lapis, ergo
Aliquod album non eſt lapis.

Sed quia *M*, denotat præmiſſas debere tranſponi, dicam.

Fe *Nullus homo eſt lapis*,
ri *Aliquod album eſt homo*, ergo
o *Aliquod album non eſt lapis.*

Item in hoc ſyllogiſmo

Da *Omnis homo eſt animal;*
rap *Omnis homo eſt ſubſtantia*, ergo
ti *Aliqua ſubſtantia eſt animal.*

In maiori nihil occurrit, quia nulla ex dictis literis reperitur: in minori eſt P, ſignum eſt debere conuerti per accidens; in conſequenti iterum nihil reperitur: Dico igitur.

Da *Omnis homo eſt animal;*
rap *Omnis homo eſt ſubſtantia*, ergo
ti *Aliqua ſubſtantia eſt animal.*

Da *Omnis homo eſt animal;*
ri *Aliqua ſubſtantia eſt homo*, ergo
j *Aliqua ſubſtantia eſt animal.*

Quæres 3. Quid ſit Reductio per impoſſibile. R. Eſt cum in modo imperfecto, negata conſequentia, aduerſarius tenetur duo contradictoria admittere, vel negare conſequentiam in ſyllogiſmo perfecto. E. gr. in hoc ſyllogiſmo.

Da *Omnis homo eſt animal;*
rap *Omnis homo eſt ſubſtantia*, ergo

ti

ti *Aliqua ſubſtantia eſt animal.*

Si negetur Conſequentia, cogitur negans ſequentem ſyllogiſmum admittere.

Ce *Nulla ſubſtantia eſt animal;*
la *Omnis homo eſt ſubſtantia,* ergo
rent *Nullus homo eſt animal.*

Maiorem negare non poteſt, quia eſt contradictoria conſequentię negatæ, & conſequenter, ſi priorem contradictoriam negarit, poſteriorem tenetur admittere, quæ eſt hęc maior: minor (vt ſuppono) eſt conceſſa, conſequentia eſt legitima in modo perfecto, nec tamen poteſt concedi, niſi admiſſis duabus contradictorijs, ſcil. *nullus homo eſt animal,* & *aliquis homo eſt animal,* nàm prior eſt conſequentia legitima, poſterior eſt ſubalternata propoſitionis conceſſæ, ſcil. *omnis homo eſt animal;* pro quo ſciendum, aliquandò inferri immediatè contradictoriam conceſſæ, aliquandò tantùm contrariam; quæ, vt rectè intelligantur, de ratione horum pro ſingulis figuris ſpeciatim agam.

Si itaque ſyllogiſmus, cuius conſequentia negatur ſit in prima figura ex indirectis, ſeruanda eſt maior conceſſa, & loco minoris ponenda eſt contradictoria conſequentiæ negatæ, & loco conſequentiæ ponenda contradictoria minoris conceſſæ, vnde verſus:

Seruat maiorem, variat ſed prima minorem,

Exempli gratia

Da *Omnis homo eſt animal;*
bi *Aliqua ſubſtantia eſt homo,* ergo
tis *Aliquod animal eſt ſubſtantia.*

Reduc.

Ce *Nullum animal eſt ſubſtantia;*

la *Omnis homo eſt animal*, ergo
rent *Nullus homo eſt ſubſtantia*.
Vbi nota tranſpoſitionem præmiſſarum: interea patet, quòd illatio rectè concludat in *Celarent*, & conſequenter non poteſt negari, nec concedi, quia eſt contradictoria alterius conceſſę, niſi duas contradictorias concedat. Ab hac regula excipitur *Celantes* in quo è contrà ſeruanda eſt minor, & mutanda maior cum tranſpoſitione præmiſſarum, vndè verſus.

Excipe celantes, in quo conuertitur ordo.

Exempli gr.

Ce *Nulla planta eſt homo;*
lan *Omnis arbor eſt planta*, ergo
tes *Nullus homo eſt arbor*.

Da *Omnis arbor eſt planta;*
ri *Aliquis homo eſt arbor*, ergo
j *Aliquis homo eſt planta*.

Quòd ſi ſit in ſecunda figura, iterum ſeruanda eſt maior, & minor mutanda, vnde

Seruat maiorem, variátque ſecunda minorem.

Exempli gr.

Ce *Nullus homo eſt planta;*
ſa *Omnis arbor eſt planta*, ergo
re *Nulla arbor eſt homo*.

Fe *Nullus homo eſt planta;*
ri *Aliqua arbor eſt homo*, ergo
o *Aliqua arbor non eſt planta*.

Quòd ſi ſit in tertia figura maior mutanda eſt, & ſeruanda minor; vndè

Tertia maiorem variat, ſeruatque minorem.

Exempli gr.

Da

Da *Omnis homo eſt animal;*
rap *Omnis homo eſt ſubſtantia*, ergo
ti *Aliqua ſubſtantia eſt animal.*

Ce *Nulla ſubſtantia eſt animal;*
la *Omnis homo eſt ſubſtantia*, ergo
rent *Nullus homo eſt animal.*

Quæ omnia, vt facilius præſtes, nota ſequentes voces *neſciebatis, odiebam, lætare, Romanis*, quarum omnium ſunt 15. vocales correſpondentes 15. ſyllogiſmis imperfectis reducibilibus ad perfectos, ſic vt primæ 5. correſpondeant quinque modis primæ figuræ, ſcil. *neſciebatis*, & prima primo, ſecunda ſecundo, &c. alię 4. ſcil. *odiebam* ſeruiunt pro 4. modis ſecundæ figuræ, reliquæ 6. ſcil. *lætare Romanis* ſignant ſex reliquos modos tertiæ figuræ hac ratione, vt ſupra quem modum cadit *A* reducendus ſit ad *Barbara*; ſupra quem *E*, reducendus ad *Celarent*; ſupra quem *I* ad *Darij*; ſupra quem *O* ad ferio: ſic *Baralip* correſpondet *E*, ſignum eſt reducendum eſſe ad *Celarent*, I *Celarent* ad *Darij*.

SVPER LIBROS POSTERIORVM

Tractatus Octauus.

De Syllogiſmo ſcientifico, ſeu Demonſtratiuo.

Caput 1. De varijs Syllogiſmi diuiſionibus.

QVæres 1. Quid ſit Syllogiſmus Hypoteticus. R. Huc vſque tantùm dę Syllo-

ſyllogiſmo Cathegorico, ſeù ſimplici egimus, hic autem primò Hypoteticum, deindè Expoſitorium, Modalem, Topicum, Demonſtratiuum, Pſeudographum, & Sophiſticum inquiremus; Eſt autem Hypoteticus, *qui conſtat aliquibus propoſitionibus hypoteticis*; quòd ſi vna tantùm ſit hypotetica, altera cathegorica, concluſio erit etiam cathegorica, ſic *ſi Sol lucet dies eſt, ſed Sol lucet, ergo dies eſt*, quòd ſi vtraque ſit hypotetica, etiam concluſio ſit hypotetica, ſic *Quod eſt homo eſt animal, quod eſt animal eſt corpus, ergo quod eſt homo eſt corpus*.

Quæres 2. Quid ſit Syllogiſmus Expoſitorius. ℞. Eſt Syllogiſmus, *cuius medium eſt terminus ſingularis*, vti *Petrus eſt ſtudens, Petrus eſt ambulans, ergo aliquod ſtudens eſt ambulans*: Fit commodiſſimè in tertia figura, licet etiam in alijs fieri contingat; vti *Petrus eſt ſtudens, aliquis homo eſt Petrus, ergo aliquis homo eſt ſtudens*. In ſecunda ſic *aliquod album eſt Petrus, aliquod ſtudens eſt Petrus, ergo aliquod album eſt ſtudens*.

Quæres 3. Quis ſit Syllogiſmus Modalis. ℞. *Eſt, qui conſtat modalibus propoſitionibus*. E. g. *Omnis homo neceſſariò eſt animal; Petrus neceſſariò eſt homo, ergo Petrus neceſſariò eſt animal*.

Quæres 4. Quis ſit Syllogiſmus Demonſtratiuus. ℞. Eſt *Syllogiſmus concludens ex prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis*, de quo infrà.

Quæres 5. Quis ſit ſyllogiſmus Topicus. ℞. Eſt, *qui conſtat propoſitionibus probabilibus*, de quo infra in libr. Topicorum.

Quæ-

Quæres 6. Quis ſit ſyllogiſmus Pſeudographus, & Sophiſticus. R. Prior eſt, *cuius præmiſsæ videntur demonſtratiuæ, ſed re vera non ſunt*: poſterior, *cuius præmiſſæ videntur probabiles, nec ſunt*, de quibus in lib. Elenchorum.

Caput 2. De Præcognitione.

QVæres 1. Quid ſit Præcognitio. R. Cap. præced. quæſt. 4. vidimus demonſtrationem conſtare ex *notioribus*, id eſt Præcognitis, nunc eam exactius indagaturi: primò quæritur quid ſit Præcognitio, quæ nihil aliud eſt, quàm *præuia cognitio, à qua in vlteriorem cognitionem deducimur*, vti *omne totum eſt maius ſua parte*: cuius notitia dicitur præcognitio in ordine ad ſciendum in particulari, quòd *totum corpus humanum, ſit maius ſola manu*.

Quæres 2. Quotuplex ſit Præcognitio. R. Duplex, alia, *quid eſt*, & alia *quòd eſt*, ſeù *an eſt*: Præcognitio *quid eſt*, eſt quæ notificat rem, quoad prædicata eſſentialia; *quod eſt* vel *an eſt*, quoad exiſtentiam actualem, vel ſaltem poſſibilem.

Quæres 3. Quotuplex ſit Præcognitio, *quid eſt*. R. Duplex: *Quid rei*, & *quid nominis*; prior eſt diſtincta, poſterior confuſa rei Præcognitio.

Quæres 4. Quæ, & quotuplicia ſint Præcognita. R. Sunt res, de quibus habetur Præcognitio: ſunt autem tria ſubiectum ſcil. & prædicatum concluſionis ſyllogiſticæ, & medium, ſeù antecedens eiuſdem.

Quæ-

Quæres 5. Quid de illis oporteat præcognoſci in Demonſtratione. ℞. De ſubiecto ſatis eſt præcognoſcere *quid nominis*, & *an ſit* poſſibiliter, & ratio eſt, quia ſi *quid rei* præcognoſceretur, tunc fruſtrà in concluſione inquireretur: de prædicato ſufficit præcognoſcere *quid nominis*, nec requiritur præcognoſcere *an eſt*, ita Ariſt. hic t. 2. & ratio eſt, quia in conſequentia ex Præcognitione *an eſt* de ſubiecto includitur *an eſt* de prædicato; de medio autèm, ſeù præmiſſis ſufficit præcognoſcere *quid nominis*, & an ſint, veræ, & ratio eſt, quia quæ vlterius requiruntur in concluſione importantur.

Quæres 6. Quotuplices ſint præmiſſæ præcognitæ. ℞. Duplices aliæ mediatæ, id eſt, quæ in tali ſcientia probari queunt, aliæ immediatę, id eſt, quæ in tali cognitione probari nequeunt, vt ſunt propoſitiones Maximæ: diuidit autèm Phil. principia immediata in Dignitatem, & Poſitionem. Dignitas eſt, quę nullatenus in tali ſcientia probari poteſt: Poſitio, quæ, licet in tali ſcientia probari poſſit, tamen ibi non fit, vel quia vterque diſputans hoc concedit, & dicitur Suppoſitio; vel quod docens petat à diſcente hoc admitti alibi probandum, & dicitur Petitio.

Quæres 7. Quomodo à præmiſſis præcognitis concluſionis notitia cauſetur. ℞. Cauſari in genere cauſæ efficientis, non quidem, vt à principio, *quod* cauſet, quia hoc eſt intellectus demonſtrans, ſed vt principio *quo*, ſcil. concluſio cognoſcitur.

Quæres 8. Quis ſit ordo inter cognitio-

nem

nem præmiſſarum, & concluſionis. R. Maiorem dicere ordinem prioritatis naturæ, ordinis, & durationis, prius enim natura, ordine, & tempore intelligitur maior, quàm conſequentia: minor verò eſt ſolùm prior ordine, & natura, quia eo inſtanti, quo minor cognoſcitur, intellectus conuincitur ad admittendam conſequentiam, quod non fieret, niſi ſimul tempore cognoſceret vtramque; hinc, prolata vtraque præmiſſarum, cōcluſio formaliter cognoſcitur, at verò prolata maiori virtualiter, & implicitè tantùm.

Caput 3. Quales debeant eſſe præmiſſę præcognitæ Demonſtrationis.

ENumerat Ariſt. hic *cap.* 2. 3. & 5. &c. varias harum præmiſſarum conditiones, ſcil. *quòd debeant eſſe veræ, indemonſtrabiles, per ſe notæ, priores, notiores, neceſſariæ, & cauſæ concluſionis.* Pro quo

Quæres 1. Cur præmiſſæ Demonſtrationes debeant eſſe veræ. R. Suppono primò, quæ ſit propoſitio vera: illa ſcil. quæ eſt conformis rei ſignificatæ: modò ratio cur præmiſſæ tales eſſe debeant eſt, quia veram conſequentiam debent importare vtpotè ſcientificam.

Dices ex falſo ſæpe ſequitur verum hìc cap. 2. ergo, ad hoc, vt vera conſequentia in Demonſtratione inferatur, non requiritur pręmiſſas eſſe veras: antec. in hoc ſyllogiſmo patet *omnis homo eſt ſubſtantia, omnis leo eſt homo, ergo omnis leo eſt ſubſtantia.* R. Hìc per accidēs inferri iſtam concluſionem, vt oſtēdi

di in hoc ſyllogiſmo eiuſdem formæ. *Omnis homo eſt rationalis, omnis leo eſt homo, ergo omnis leo eſt rationalis*; conſequentia autem demonſtrationis debet in vi materiæ inferri per ſe, vt hic quæſt. 5. oſtendam.

Quęres 2. Quomodo debeant eſſe priores, & indemonſtrabiles. ℞. Hoc nihil aliud eſſe, quàm, quòd debeant ſic ſe habere, vt vlterius per priores veritates nequeant demonſtrari: vndè immediatè ſequitur tertia conditio, quòd debeant eſſe per ſe notæ, hoc eſt, quòd intellectus, cognitis extremis, & copula, neceſſariò aſſentiat propoſitioni.

Quæres 3. Quid ſit eſſe præmiſſas priores, & notiores. ℞. Dupliciter contingit aliquid eſſe altero notius iuxta Ariſt. 1. phyſ. cap. 1. Nobis ſcil. & Natura: Natura notiores propoſitiones ſunt vniuerſaliores, quia iſte eſt ordo naturæ, vt ab vniuerſalioribus, iuxta Ariſt. l. c. ad minus vniuerſalia, id eſt à notioribus ad minus nota procedamus, Nobis verà notiores propoſitiones ſunt, quæ noſtro captui magis pro hoc ſtatu ſunt accommodatæ, & ſunt propoſitiones minus vniuerſales, quia, cum noſter intellectus à ſenſu pro hoc ſtatu dependeat, & ſingularia ſola cadant ſub ſenſum. ideo erunt Nobis notiora: alio tamen modo aliqua propoſitio dicitur notior Nobis, quę, licet ſit vniuerſalis, tamen, vel ob neceſſariam connexionem terminorum, vel ſignificata ſenſui magis accommodata ſtatim ab intellectu percipitur, vt hæc *omne totum eſt maius ſua parte*. Modò præmiſſæ debent eſſe in Demonſtratione notiores Natura, & Nobis ſecũdo modo.

do. Dicitur vltrà, quod debeant eſſe priores, quia niſi eſſent tales, non poſſent eſſe ratio cognoſcendi concluſionem.

Quæres 4. Quid ſit præmiſſas demonſtratiuas debere eſſe neceſſarias. R. Illę propoſitiones dicuntur neceſſariæ, quæ aliter ſe habere non poſſunt: debent autem huiuſmodi eſſe demonſtrationis præmiſſæ, quia demonſtratio generat ſcientiam, ſcientia autèm eſt de neceſſariis.

Quæres 5. Cur debeant eſſe cauſę concluſionis, & quomodo. R. Omnis ſyllogiſmus in forma hoc habet, quòd præmiſſæ in vi formæ ſint cauſa conſequentię (vt ſuprà diximus) & colligitur ex illis verbis definitionis *Eo quòd hęc ſunt*. Demonſtratio vltra requirit præmiſſas in vi materiæ eſſe cauſas concluſionis, & quòd debeant generare ſciẽtiam, materia autem ſcientiæ traditur per cauſas.

Caput 4. De Propoſitione per ſe, de omni, vniuerſali, & æternò verâ.

QVæres 1. Quæ ſit propoſitio per ſe. R. Multipliciter poſſet ſumi; hic autèm potiſſimùm ſumitur pro ea, cuius prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti.

Quæres 2. Quæ ſit propoſitio de omni. R. Sic definitur ab Ariſt. *Quod non cuidam ineſt, cuidam non ineſt, nec quod interdum competit, interdum non competit, vt animal homini.* Quæ verba non ſunt intelligenda, vti iacent, quia ſic etiam conuenit dici de nullo: ſenſus ergo eſt, quando prædicatum dicitur de omni

omni contento ſub ſubiecto, & ſemper vt *animal* reſpectu hominis.

Quæres 3. Quæ hic intelligatur Propoſitio vniuerſalis. R. Sic definitur ab Ariſt. cuius prædicatum eſt, *Quòd de omni eſt per ſe, & ſecundùm quod ipſum*: in qua definitione prædicatum propoſitionis vniuerſalis requirit has tres conditiones, primò, vt dicatur per ſe, ſecundò de omni, modo expoſito, tertiò ſecundùm quod tale; ideſt ſecundùm vltimam rationem conſtitutiuam, & differentiam ſubiecti, vt *rationale reſpectu hominis*, per quam vltimam particulam excluduntur omnia genera, & differentiæ ſuperiores.

Quæres 4. Quæ ſit propoſitio æternò vera. R. Illa cuius prædicatum per ſe dicitur de ſubiecto, vel in qua paſſio de ipſo prædicatur, ita Ariſt. hic c. 7.

Ex dictis colliguntur requiſita ad Demonſtrationem; cuius enim præmiſſæ habent enumeratas conditiones illa eſt vera ſcientifica demonſtratio.

Caput 5. De Demonſtratione Quia & Circulo.

QVæres 1. Quæ ſit Demonſtratio *Quia*. R. Huc vſque de Demõſtratione *propter quid* egimus, quæ eſt illa huc vſque expoſita, nunc verò de Demonſtratione *quia* quæritur, & eſt Syllogiſmus concludens per effectus, vel cauſas remotas, nec eſt ſcientifica; cauſa autem remota ſumitur dupliciter, pro ea ſcil. quæ, licet detur cauſa

pro-

propior, tamen conuertitur cum effectu, vt *rationale* reſpectu *riſibilis*, quod habet propinquiorem cauſam, ſcil. *admirationem*, vel pro ea, quæ non conuertitur cum effectu, vt *ſenſitiuum* reſpectu *hominis*. Poſterior autem propriè conſtituit Demonſtrationem, *quia*, prior verò iuxta communem poteſt facere Demonſtrationem *propter quid*, quia dicit veram, & æqualem rationem cum obiecto demonſtrando.

Quæres 2. Quid, & an ſit Circulus. R. Circulus in Demonſtratione eſt, cum petitur principium, ſeù idem per idem probatur, vt ſi dicam *cur homo eſt riſibilis? quia eſt rationalis: cur rationalis? quia riſibilis*. Secundùm Ariſt. tamen propriè non poteſt dari in quo cauſa per cauſam probatur, quia cauſæ non ſunt ſibi inuicem cauſæ.

Caput 6. De Scientia.

QVæres 1. Quid ſit Scientia. R. Eſt *habitus per demonſtrationem acquiſitus*: dicitur *habitus* loco generis, quia omnis ſcientia eſt qualitas acquiſita firmiter ſubiecto inhærens: Dicitur *per demonſtrationem acquiſitus* loco differẽtiæ, omnis enim demonſtratio eſt ſcientifica, vt ſupra.

Quæres 2. Quid, & quale ſit Sciẽtiæ obiectum. R. Illud dicitur in Sciẽtia obiectum, quod in illa inquiritur: duplex eſt, formale ſcil. & materiale: materiale eſt res ipſa pro ſubſtrato, quæ in ſcientia conſideratur, formale eſt ratio illa, ſecũdùm quàm obiectum materiale ſpeculamur, ſic in Logica (vt diximus)

ximus) obiectum materiale ſunt tres mentis operationes, formale verò, quatenùs dirigibiles, ne errent; de ratione autem huius eſt, quòd ſit æternum, incorruptibile, per ſe, vnum vnius Scientiæ.

Quæres 3. A quo ſpecificetur Scientia. R. Ab obiecto formali: eſt communis ſententia ex Ariſt. lib. 2. de Animâ.

Quæres 4. An de eadem re ſecundùm eamdem rationem in eodem poſſit eſſe ſimul Scientia, & Fides, & Opinio &c. R. Negatiuè, nam Fides eſt obſcura, Scientia euidens, vtraque certa, Opinio incerta.

Dices Theologi habent Fidem, & Scientiam de eadem re, vti de Incarnatione, ergo &c. R. Theologos habere Fidem de *an eſt*, ſed Scientiam de *quid eſt*, vndè non eſt eadem ratio.

SVPER LIBROS ARISTOTELIS TOPICORVM

Tractatus Nonus.

De Syllogiſmo Topico, ſeù probabili.

HVcuſque demonſtratiuum ſyllogiſmum determinauimus, nunc autem de Topico, id eſt cuius præmiſſæ quidem ſunt probabiles, ſed non certæ agemus.

Caput 1. De locis Topicis in genere.

QVæres 1. Quid ſit locus Topicus. R. Eſt propoſitio probabilis, vt à toto

ad

ad partem, vt infra.

Quæres 2. Quotuplex ſit locus Topicus. ℞. Diuiditur in Maximam, & Differentiam maximæ: Maxima eſt propoſitio vniuerſalis per ſe nota, quæ multas per ſe alias vniuerſales continet. Differentia maximæ dicitur ratio, ſecundum quàm multæ maximæ inter ſe differunt, vt *quidquid negatur de definitione, negatur, & de definito, & quidquid aſſeritur de definitione aſſeritur etiam de definito* ſunt duæ differentiæ huius maximæ, *valet locus à definitione ad definitum*.

Quæres 3. Quomodo aliter diuidatur locus Topicus. ℞. In intrinſecum, extrinſecum, & medium. Intrinſecus eſt cùm ſumitur de re intrinſeca ſubiecto, de quo eſt diſputatio, vt à *Definitione*. Extrinſecus eſt cùm ſumitur à re extrinſeca, vt à *pari*, Medius eſt quo participat de vtroque, vt à *coniugatis*.

Caput 2. De locis Topicis in particulari.

QVæres 1. Quotuplex ſit locus Topicus in particulari. ℞. Multiplex, aliqui autem dicuntur artificioſi, quia ſunt à Dialecticis per artem inuenti; alij non artificioſi, qui ſcil. ſine arte à natura ſunt inditi, vt ab auctoritate.

Primus autem eſt à Definitione ad definitum, & è conuersò, qui habet has regulas, ſcil. *Quidquid affirmatur, vel negatur de definitione, affirmatur, vel negatur de definito, & è contrà*, vt quia *animatum* dicitur de *homine*, dicitur etiam de *animali rationali*, & è conuersò,

uersò, & quia *lapis* negatur de *animali rationali*, etiam negatur de *homine*, & è conuersò: optimus eſt hic modus argu ndi, & certiſſimus, idemque valet de deſcriptione, ſi ſit bona, & conuertatur cum deſcripto;

Secundus locus eſt ab Æthimologia, qui locus valet, ſi in nominis impoſitione habita ſit ratio rei probandæ, ſic *Chriſtum* verè *Regem* ſuiſſe probo ex nomine *Chriſti*, quod ſignificat *vnctum*.

Tertius locus eſt à Toto vniuerſali ad ſuas partes ſubiect uas, ideſt ad inferiora, cuius hæc eſt regula *quidquid affirmatur de ſuperiore affirmatur, & de inferiori*, ſic quia *animal eſt viuens* infero, quòd etiam *Leo ſit viuens*, & *quidquid negatur de omnibus inferioribus, negatur & de ſuperiori*, ſic quia, nec *animal rationale*, nec *irrationale* eſt *lapis* infero, quòd nullum *animal* eſt *lapis*.

Quartus locus eſt à Toto integrali ad partes neceſſarias affirmatiuè, non negatiuè, nec ad partes non neceſſarias, ſic dico eſt *homo* ergò *caput*, non tamen negatiuè, non eſt *homo* ergo non eſt *caput*, nec ad partes non neceſſarias, vt eſt *homo*, ergo *manus, ſed à partibus neceſſarijs ad totum valet negatiuè*, vt dicendo non *eſt caput*, ergo *nec homo*.

Quintus locus eſt à Toto in modo, quod nihil eſt aliud, quàm aliquod vocabulum abſolutè ſumptum aptum ad varios reſtringi modos, vt *homo* eſt totum in modo aptum ad varios modos reſtringi, vt *doctus*, & ſic *homo doctus* fit pars in modo, quia non amplius tantùm complectitur, quàm antè: Ab hoc valet arguere, vt *quidquid dicitur de to-*

to

to in modo, dicatur, & de parte eius, vt quia *ho-mo eſt animal,* valet, quòd & *homo doctus ſit animal*; hoc autem intellige, niſi modus ſit particula diminuens, vel alienans; hinc non valet *homo eſt viuens*, ergo *homo mortuus eſt viuens*, quia ly *mortuus* eſt modus alienans.

Sextus locus eſt à Cauſis; valet autem inferre, tàm affirmatiuè, quàm negatiuè cauſam ex effectu, & è conuerſo, ſeruata tamen proportione, vt ſi cauſa ſit actu, & effectus ſit actu, & è contrà; ſic *eſt domifactor, ergo, & domifactio, & domus*; & ſi cauſa ſit in potentia pariter effectus, & è contra, vt *eſt domifactor in potentia,* ergo, *& domus.*

Septimus locus eſt à Generatione, & Corruptione: ab hoc ſic arguimus, vt *ſi alicuius rei corruptio ſit bona, generatio eſt mala, ſi corruptio mala, generatio bona, & è contrà,* ſic *mors furis eſt bona;* ergo *origo mala, mors Principis boni eſt mala;* ergo *generatio bona.*

Octauus locus eſt à Coniugatis, ideſt, quorũ vnum deriuatur ab alio, vt ab *albedine* fit *album*; vnde ſic argue, *vt ſi duo prædicata abſtracta de ſe inuicem prædicentur,* etiam *prædicentur concreta,* ſic, quia *albedo* eſt *color, album* eſt *coloratum*, non è contrà; nec enim quia *album* eſt *corpus,* ideò *albedo* erit *corporeitas.*

Nonus locus eſt à Repugnantibus, cuius hæc eſt regula, *quoties de vno repugnantium vnum affirmatur, de altero negatur, non è contrà,* ſic, quia de *Petro* affirmo *hominem*, nego eſſe *leonem*, ſed non quia nego *lapidem* eſſe *leonem* valet affirmare eſſe *hominem*, niſi in contradictorijs, vbi vno negato affirma-

tur alterum, & è contrà.

Decimus locus eſt à Pari; pro quo valet hæc maxima *parium par eſt ratio*, vt *hic homo poteſt ridere*, ergo *& ille*,& è contra *diſsimilium diſsimilis eſt ratio*.

Vndecimus locus eſt à Maiori, & Minori; pro quo valet hęc regula, *quòd negatur de maiori in ratione perfectionis, negatur & de minori*, vt *Gigas non poteſt montem transferre*; ergo *nec Pigmeus*,& contra *quod affirmatur de minori affirmatur,& de maiori*, vt *ſcintilla poteſt domum accendere*, ergo *& flamma ingens*.

Duodecimus locus eſt ab Antecedenti, & Conſequenti. Antecedens dicitur hic,quod alterum infert, vt *homo* reſpectu *animalis*; conſequens,quod infertur, vt *animal* reſpectu *hominis*; pro quo ſeruit hæc regula *poſito antecedenti ponitur etiam conſequens, non è contra*, vt poſito *homine* ponitur *animal*, ſed non poſito *animali* ponitur *homo*; *At negato conſequenti negatur antecedens*:ſic negato *animali* negatur *homo*, non è contra.

Decimus tertius. Locus eſt ab Auctoritate,quæ,ſi ſit Diuina infallibilis eſt; ſi humana probabilis, ab hoc arguimus affirmatiuè vt *Deus dixit iudicium fore, ergo erit* non negatiuè, vt *Deus non dixit Sortem ſaluandum*, ergo *non ſaluabitur*: non valet.

Alij plurimi ſunt loci, quos vſu mallem, quàm regulis diſcere, cęterùm hi pro inſtituti noſtri affectata breuitate, vtpote magis præcipui, ſufficient.

SVPER

Tractatus Decimus.
De Locis Sophiſticis.

Caput 1. De Locis Sophiſticis in genere.

QVæres 1. Quid ſit Locus Sophiſticus. R. Eſt Locus vndè ſumitur ſyllogiſmus ſophiſticus, ſeù qui non eſt, ſed apparet probabilis.

Quæres 2. Quis,& quotuplex ſit finis Loci ſophiſtici. R. Eſt ſcopus, ad quem ſophiſta fallaciter conatur alium deducere, eſtque quintuplex;primus redargutionis fallacia dicitur, & eſt cùm Sophiſta deducit alium ad concedendum negata, vel negandum conceſſa: ſecundus finis falſi dicitur, id eſt,cùm deducit alterum ad concedendum apertè falſum,vel negandum apertè verum: tertius finis inopinabilis,id eſt,cùm deducit alium ad negandum, quòd communi hominũ ſenſu conceditur: quartus eſt ſœlocismi, id eſt cùm cogit in argumento admittere vitium ſyntaxeos: quintus nugationis, cùm cogit inutilia repetere.

Caput 2. De modis Sophiſmatum, ſeù fallaciarum in ſpeciali.

QVæres quotuplex ſit modus fallaciæ, R. Multiplex, hic tantùm tredecim recenſebo, minus vtiles

 bre-

biuitatis ſtudio omittens.

Prima fallacia eſt æquiuocationis, cùm ſcilicet in aliquo termino argumenti fit æquiuocatio.

Secunda eſt Amphibologiæ, cùm committitur amphibologia nota Grammaticis.

Tertia eſt fallacia Accentus, cum ex accentu mutatur ſignificatio vocis, vt contingit in ly *lepores*, vt ſi dicam *lepòres mouent riſum, ſed hæc animalia ſunt lepores, ergo mouent riſum.*

Quarta eſt fallacia diuiſionis, cùm id, quod in antecedenti ſumitur collectim in conſequenti diſtributiuè ſumitur, vti *elementa ſunt quatuor*, ergo *ignis eſt quatuor, aqua eſt quatuor &c.*

Quinta eſt compoſitionis, cùm è contrà id, quod in antecedenti ſumitur diſtributiuè in conſequenti ſumitur collectim, vti *nec ignis eſt quatuor, nec aqua eſt quatuor, nec aer, nec terra*, ergo *elementa non ſunt quatuor.*

Sexta eſt fallacia figuræ dictionis, quæ ſumitur ex ſumpto vocabulo ſecundùm diuerſam acceptionem, vt ſi in vno ſumas pro ſubſtantia, in alio pro accidenti, vti ſi dicam *quidquid heri fuiſti, es hodie, heri eras calidus*, ergo *& hodie*, accidit fallacia in voce *quidquid* enim in maiori ſumitur pro ſubſtantia, in reliquis fit tranſitus ad qualitatem.

Septima eſt fallacia accidentis, cum aliquid, quod accidit alicui tertio infers duobus extremis conuenire; vti quia *aliquod animal eſt riſibile* infers *aliquem hominem, & aliquod brutum eſſe riſibile.*

Octaua

Octaua fallacia eſt à ſimpliciter ad ſecundum quid, cùm ex aliqua propoſitione ſecundum quid vera, infers concluſionem ſimpliciter, vti *AEthiops* eſt *albus ſecũdùm dẽtes, & oculos,* ergo *eſt ſimpliciter albus*.

Nona eſt fallacia elenchi, cùm infertur propoſitio, quæ videtur contradictoria, nec tamen eſt, vti, ſi dicam *Cocles* ex vno *oculo videt,* & ex *alio non videt, ergo ſimul videt,* & *non videt.*

Decima eſt fallacia petitionis principij, cùm probatur idem per idem, pro quo v. quę de circulo dixi tr.8. cap.5. quæſt.2.

Vndecima eſt fallacia conſequentis, cùm ex conſequenti infertur antecedens, vt ſi dicam ſi *domus ardet eſt ignis, ſed eſt ignis,* ergo *domus ardet*.

Duodecima eſt fallacia non cauſæ, vt cauſæ, quando falſitas conſequentis in argumentatione imputatur propoſitioni, cui non eſt imputanda, ſed alteri, vt ſi dicam *omnis homo eſt animal, Petrus non eſt homo,* ergo *Petrus non eſt animal,* ſi falſitas conſequentis imputetur maiori, fit hæc fallacia, non cauſæ, vt cauſæ, cùm ſit imputanda minori.

Decimatertia eſt fallacia plurium interrogationum, vt vnius, vt ſi dicam *homo & lapis ſuntne animal?* quia oportet diſtinctè interrogare, antequàm hìc liceat ſimpliciter concedere, vel negare.

FINIS LOGICÆ.

ARISTOTELICÆ DOCTRINÆ THEORICÆ
Pars Secunda.

Complectens vniuerſam Phyſicam.

Proœmialia Phyſicæ.

Quæres 1. Quid ſi Phyſica ℞. eſt ea pars Philoſophiæ; in qua tractatur de Natura, & Naturalibus; vndè dicitur ex obiecto ſuo Naturalis, ſeu Phyſica, non in quantum naturalibus viribus acquiritur. quia ſic etiam Logica, Metaphyſica, & Mathematica eſſent Phyſicæ, ſeù Naturales ſcientiæ.

Quæres 2. An ſit ſcientia ſpeculatiua ℞. affirmatiuè, & probatur ex eo, quòd habeat apertiſſimas demonſtrationes; vti patet inductione; ſic *Natura eſt principium motus, & quietis; Anima eſt Natura, ergo Anima eſt principium motus*, &c. & ſic de reliquis diſcurre.

Dices Scientia non datur de corruptibilibus Phyſica eſt de illis, nam omnia Naturalia ſunt corruptibilia, ergo &c. ℞. De corruptibilibus in generali ſecundùm actum ſignatum poſſe dari ſcientiam, nàm ſic dantur æternæ veri ates de ipſis corruptibilibus, nō autem in particulari, & ſecundùm actum exercitum.

Quæres 3. Quod ſit huius ſcientiæ obie-

Digitized by Google

ctum. ℞., omiſſis varijs ſententijs, quæ merè de nomine diſceptare videtur, dum alij Corpus Mobile, Alij Ens Mobile, Alij Ens Naturale, Alij Corpus Naturale, Alij alia ſtatuunt, quæ reuera ſecundùm rem coincidunt, nàm omnia illa realiter conuertuntur: ſtatuo pro formali, & adæquato obiecto Phyſicæ Ens Naturale, vt Naturale eſt; Dico *Ens* cùm in omni alia parte Philoſophiæ *Ens* ſtatuatur, vt patet in Methaphyſica, & Mathematica, dico *Naturale*, quia hæc eſt ratio ſpecificãs, & denominans ſcientiam hanc, meliùs quàm Mobile, cùm Naturale, tàm motum, quàm quietem complectatur; quorum vtrumque hic conſideratur.

Dices Obiectum, vt notius debet ſupponi in ſua ſcientia, ſed motus eſt notior, quàm Natura, nàm ignorato motu, iuxta Ariſtotelem ignoratur Natura, ergo potiùs ens mobile, quàm Naturale erit obiectum huius ſcientiæ. ℞. Naturam à poſteriori cognoſci per motum, tamquàm per ſuam paſſionem, & proprietatem, & conſequenter principaliùs conſideratur hic Natura, quàm Motus.

Quæres 4. Quomodo diuiditur Phyſica. ℞. Omiſſis pro nunc alijs diuiſionibus, diuiditur in communem, & propriam. Communis eſt in quâ Ariſt. tradit generalia principia rerum Naturalium, & libros octo phyſicorum complectitur. Propria eſt, in qua ſpecialia de ſpecialibus entibus Naturalibus tradit documenta, & ſunt reliqua.

Tra-

Tractatus Primus.

Super Librum primum Phyſicorum.

Caput. 1. *De Principijs phyſicis in Communi.*

QVæres 1. Quid ſit principium in genere. ℞. eſt *id, vnde aliud eſt, aut fit, aut cognoſcitur*, ſic *pater* eſt principium, vnde *fit filius*, *forma* eſt principium, vndè *eſt compoſitum*; *præmiſſæ* ſunt principia vndè *cognoſcitur Concluſio*.

Quæres 2. Quæ ſint principia prima phyſica. ℞. Ex Ariſt. tex. 42. ſunt illa, *quæ nec ex alijs, nec ex alterutris, ſed ex his omnia.* Senſus eſt quòd non debeant procedere ab inuicem, nec ab alio, quia tunc non eſſent prima, ſed alia priora ſupponerent, *ſed ex his omnia*, ſcil. ſunt, vel fiunt entia phyſica.

Dices formæ materiales procedũt ex materia: atqui forma eſt principium phyſicum: ergo principia phyſica procedunt ab inuicem. ℞. Non procedere in eodem genere principij, ſcil. formali, ſed in alio ſcil: materiali, nec hoc obſtat, quominùs omnia in ſuo genere ſint prima.

Quæres 3. Quot ſint. ℞. Res Naturales conſiderantur, vel in ſuo fieri, vel in facto eſſe: in fieri tria ſunt ſcilicet Materia, Forma, & Priuatio: in facto eſſe tantùm ſunt duo, ſcil. Materia, & Forma, quia cum Forma inducitur recedit Priuatio, nec in facto eſſe reperitur.

Quæres 4. An ſint contraria, & quomo-

do. ℞. eſſe contraria, non contrarietate ſtricte ſumpta, nàm ſic ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, ſed lato modo, ſcil. pro oppoſitione priuatiua, de qua in Poſtprædicamentis: hæc autem contrarietas ſolùm eſt inter formam, & priuationem.

Quæres 3. An in omni generatione naturali omnia hæc tria principia reperiantur? ℞. Affirmatiuè, & ratio eſt, quia cùm introducitur forma aliqua, quæ eſt terminus omnis motus debet adeſſe ſubiectum, in quod introducatur, & ecce Materia, & Forma, cùm autem nihil poſſit introduci in ſubiectum niſi fuerit eo antè priuatum ecce Priuatio: hæc intellige de productione naturali, nàm in miraculis aliter fit, vti in creatione, & tranſubſtantiatione, de quibus infrà.

Caput. 2. de Materia prima.

QVæres 1. Quid ſit Materia prima. ℞. cùm Ariſt. hìc tex. 82. *Eſt ſubiectum primum vniuſcuiuſque, ex quo fit aliquid, cùm inſit ſecundum ſe, & non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur, ad hoc vltimum ſanè proficiſcetur* ſenſus eſt, quòd ſit primũ rerum omnium naturalium ſubiectum; pro cuius intelligentia ſciendũ, quòd omnes res corporeæ ſint cõpoſitæ ex Materia, & formà. Forma infrà ſequẽti cap. exponitur, eſtque illa, quæ res omnes in ſuo eſſe ſpecifico conſtituit, Materia è contrà eſt commune rerũ omnium, & formarum omnium ſubiectum; vndè cùm per propriam ſpeciem non poſſit cognoſci, non melius intelligitur, quàm per

ana-

analogiam ad formam, ſic vt mente abſtrahas omnes formas à rebus phyſicis, & quòd remanebit erit Materia, de qua hic.

Quæres 2. Vtrum detur Materia prima. ℞. Affirmatiuè, & quidem in omnibus rebus naturalibus, & corporeis, cùm enim reliqua duo principia ſint contraria oportet reperiri receptaculum eorum, quo mediante ſe expellant, & inuicem agant.

Quæres 3. An Materia prima ſit ſubſtantia. ℞. Affirmatiuè, & ratio eſt quia nihil, quod non eſt ſubſtantia, poteſt eſſe intrinſecè conſtitutiuum ſubſtantiæ; atqui materia intrinſecè conſtituit ſubſtantiam; ergo &c. Secundò, quia ſi eſſet accidens deberet in aliquo ſubiectari, & conſequenter non eſſet *primum ſubiectum*, quod repugnat illius definitioni, vt ſuprà.

Dices Materia non eſt *quid*, id eſt ſubſtantia 7. Metaph. cap. 3., & 1. Phyſ. tex. 13. dicitur *non ens*, ergo &c. ℞. non eſſe *ens* formale, nec *quid* formale, ſed in potentia ad omnia formalia.

Quæres 4. An Materia ſit corpus. ℞. Circa hoc fuit opinio Auicennæ dicentis Materiam primam ex ſe præditam eſſe aliqua forma corporeitatis, & Zabarellæ aſſerentis eam, non ex forma, ſed ex ſe eſſe corpus illud ſimplex, quod ponitur in Prędicamento ſubſtantię, & deindè ad inferiora per differentias contrahitur; ſed verior eſt communis ſentētia negatiua, quæ probatur, quia corpus eſt ens cōpletū in certo gradu eſſendi, ſecùs materia prima, ergo &c. maior ſupponitur: min. probatur, quia Materia ex ſe

Dices 1. Ex duobus entibus actu non fit vnum per ſe; at ex Materia, & forma fit vnum per ſe: ergo non ſunt duo entia actu; ergo vel forma, vel Materia non erit actus: non prius, ergo poſterius. ℞. Ex duobus entibus actu completis nihil componi per ſe, bene autem ex duobus incōpletis, vt hic fit.

Dices 2. Materia ab Ariſtot. dicitur pura potentia; ergo &c. ℞. Verum eſſe in ordine ad actum formalem, non entitatiuum, de quo hic.

Quæres 6. An Materia habeat propriam exiſtentiam. ℞ N. gant Thomiſtæ, qui dicūt ipſam habere ex ſtentiam à forma; ſed contrà, quia ſi haberet exiſtentiam à forma nō eſſet eadem exiſtens ſub omnibus formis, quod apparet falſis mum: ſequela probatur, nàm ſub omnibus formis initaret exiſtentiam, ergo non eſſet eadem exiſtens, neque enim plures exiſtentiæ poſſunt denominare idem exiſtens.

Quæres 7. An Materia per Omnipotentiam Dei poſsit ſeparata à forma exiſtere. ℞. Negant iterum Thomiſtæ, ò quòd non habeat propriam exiſtentiam, ſed hoc apparet falſum ex dictis, vndè placet oppoſitum, primò, quia nulla ſufficiens eſt aſſignabilis implicantia; ſecundò quia ſimile contingit in accidentibus ſine ſubiecto, vt patet in Euchariſtia.

Dices, quidquid exiſtit, exiſtit in aliquā determinata ſpecie, ſed Materia in nulla eſt ſpecie ſine forma, ergo nec poteſt exiſtere ſine forma. ℞. Materiam eſſe in ſua ſpecie incompletà, & Metaphyſicè, quod ſufficit;

non

non completa, & Phyſicè.

Quæres 8. Quid ponat in Materia eſſe potentiale ad formam. R. vidimus quæſt. 5. non eſſe eius eſſentiam; cùm autem Ariſt. Materiam vocet potentiam, quæritur quid ſit Materiam eſſe potentiam, & dico habere ſe, vt proprietatem ab eius eſſentia dimanantem, quia non eſt illius eſſentia, vt ſuprà oſtendi, & tamen eſt maximè illi coniuncta, ſic, vt omni, & ſoli Materiæ ſemper accidat; ergo congruè aſſignatur pro eius proprietate.

Quæres 9. An & quomodo Materia appetat formam. R. affirmatiuè, nàm omne perfectibile appetit ſuā perfectionem: modò forma perficit Materiam; Quod intellige, non de appetitu elicito, quia ille non poteſt eſſe, niſi in viuentibus, ſed de appetitu innato, ſeù naturali quò (vt dixi) omne perfectibile appetit ſuum perficiens, & ſic Materia formam appetit quàm non habet, & tamen habere poteſt, non autem ante habitam, vel non poſsibilem haberi quia impoſsibilia Natura non appetit, de illa autem, quam habet, non vltra habet appetitum, ſed complacentiam.

Quæres 10. An hic appetitus ſit aliquid ſuperadditum eſſentiæ ipſius materiæ. R. eſſe proprietatem ipſius Materię, nam appetitus ad formam, & potentia ad formam, non ponunt in numero; ſed ſunt idem realiter, & tantùm ſecundùm noſtrum conceptum diſtinguuntur: modò ſuprà quæſ. 8. oſtendi potentiam eſſe proprietatem Materię; ergo idem dicendum eſt de appetitu.

Quæ-

Quæres 11. An Materia habeat coæuam quantitatem. R. affirmatiuè, non tamen ſic; vt cùm illa ſola ſine forma poſsit exiſtere, cũ ipſam ex ſe, non per modum formæ, vel eſſentialis prædicati conducat, ſed ex neceſſaria connexione, quàm habet cùm extenſione, licet poſtea ad hanc vel illam extenſionem à forma determinetur, ſicut, & figuram, quod inde patet, quia eadem Materia quoad quantitatem magis, vel minus loci poteſt occupare, quod non fieret, ſi ex ſe determinatã conferret quãtitatem, niſi ad hoc à forma determinaretur, quòd autem quantitatem ſecum ferat ſic probo ex Auerroe Illud per quod Materialia ab immaterialibus diſtinguuntur, eſt Materia, vel quid cõnexum Materiæ, atqui hoc fit ex quãtitate ergo &c.

Quæres 12. An Materia in omnibus ſit eadem ſpecie. R. Affirmatiuè, ſub quantumuis oppoſitis formis, & patet ex Ariſt. t.69. qui de Materia dicit *vnum autem ſecundùm, quòd ratio*, id eſt ſecundùm rationem ſui conceptus ſpecifici, quia cùm omnia diuerſificentur ſecundùm actus formales: Materia autẽ prima hunc non habeat, non habet etiam rationem diuerſificationis ſpecificę, ſed manet ſubiectum idem.

Quæres 13. Quomodo Materia ſit vna numero. R. Materia dicitur in omnibus eadem numero negatiuè quòd ſic explico, ſicuti plures veſtes factæ ex eodem panno, & plures panni ex eadem lana dicuntur, non quòd vbiquè ſit eadem pars panni, vel lanæ, ita Materia prima dicitur eadem numero negatiuè, id eſt non plures, ſed ſecundùm diuer-

las

ſas ſui partes à forma actuata.

Quæres 14. Quæ ſint proprietates Materiæ. R. Præter potentiam, & appetitum Materiæ ad formam, & quantitatem coæuam, de quibus ſuprà, tres ab Ariſtotele numerantur: ac prima eſt t. 69., quòd non ſit cognoſcibilis, niſi per formam, reliquæ autem duæ t. 82. quòd ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, & rerum omnium ſubiectum.

Quæres 15. Quomodo Materia nō ſit cognoſcibilis, niſi per formā. R. ſciendū eſt, quòd cum omnis potētia debeat habere obiectū, quod ipsā ponat in actu formali, Materia autē eſt pura potētia in ordine ad actū formalē, & ideò non poteſt eſſe ex ſe obiectum potentiæ intellectiuæ, niſi mediante forma.

Quæres 16. Cur Materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis. R. quia omnis generatio, & corruptio fit per contraria, cùm debeat fieri per actionem, & paſſionem; hæc autem non fit, niſi inter contraria; contrarietas autem eſt inter formas, quibus Materia ex ſe caret, & ideò illi non accidit generatio, vel corruptio. Vnde ait Philoſophus, quòd *in generatione ſemper idem manet ſubiectum* id eſt Materia.

Dices motus denominat ſubiectum, ergo ſi Materia eſt ſubiectum motus, ſeu mutationis ab illa denominabitur, mutari, & generari, & corrumpi. R. Motus denominat ſubiectum proximum, quod ſemper eſt Materia informata, non remotum, quod eſt Materia prima, de qua nos.

Dices 2. Si Materia ſit ingenerabilis, &c. erit nobilior forma, & cōpoſito, quæ ſubiacent.

cent mutationi, quod eſt in conueniens. R. Eſſe nobiliorem ſecundùm quid, non ſimpliciter, nec hoc eſt inconueniens.

Quæres 17. Quomodo Materia ſit rerum omnium ſubiectum. R. Materia poteſt conſiderari ſecundùm duplicem notionem, prima eſt, qua proximè attingitur eius eſſentia per remotionem omnium, quę ipſi non conueniunt, & ſic dicitur ab Ariſt. 7. metaph. cap. 3. ex lc, *nec eſſe quid, nec quanta, nec qualis*, per remotionem ſcilicet omnis actus formalis, alia not[illegible] eſt ex eius proprietate, cuius reſpectu ad formas, & ſic dicitur hic t. 82. *ſubiectum omnium rerum*, eo quòd habet ſubſtare omnibus formis, tàm in fieri, quàm in facto eſſe, non quidem veluti accidentibus, ſed per ſubſtantialem vnionem, de qua cap. ſequenti.

Quæres 18. quomodo optimè intelligi poſſit Materia prima. R. Ex Materia artificiali; ſicuti enim Materia artificialis ex ſe non habet aliquam formam artificialem, vt lignum, vel aurum, ita nec Materia prima habet aliquam formam naturalem; & ſicuti Materia artificialis habet aptitudinem, & indifferentiam ad hanc, vel illam formam artificialem, ita Materia prima ad hanc vel illam formam naturalem, & ſicuti Materia artificialis à forma artificiali perficitur, & denominatur, ita Materia naturalis à forma naturali, & ſicuti Materia artificialis, modò hanc modò illam formam artificialem recipit, ita Materia prima, modò hanc, modò illam naturalem, ſic cera ex ſe apta eſt ad recipiendam formam rotundam, vel quadratam;

tam: Iouis, vel Mercurij, & ab illa perficitur, & denominatur (antea enim informis erat) ita pari ratione Materia prima, cui nõ repugnat forma leonis, bouis, &c. modò hanc modò illam recipiendo ab illa perficitur, & denominatur, vbi tamen ante informis erat.

Caput 3. de Forma.

QVæres 1. Quid ſit Forma. ℞. cum Ariſt. lib. 2. phyſ. t. 28. forma eſt *quod quid erat eſſe rei* pro cuius intelligentia nota, quòd materia eſt communis omnibus rebus naturalibus, quæ deindè ad vltimam ſpeciẽ per propriam Formam determinantur, & ideò Forma dicitur *quod quid erat eſſe rei*, id eſt vltimum eſſe quid ditatiuum, ſeù eſſentiale rei, ſic materia, cùm ſit communis equo, & homini; Forma tamen dat ſingulis ſuum eſſe determinatum, qu homo non ſit equus, nec è conuerſo.

Quæres 2. Quotupliciter diuidatur Forma. ℞. multipliciter, ac primò in completam, & incompletam. Completa eſt, quæ ex natura ſua non coordinatur materiæ, vt Angelus: incompleta, quæ coordinatur materiæ, vt Anima &c. incompletæ, al ę ſunt ſubſtantiales idest vnum per ſe conſtituentes cum materia, vt Anima; aliæ accidentales, vt albedo: Accidentales aliæ ſunt naturales, vt albedo, aliæ artificiales, vt Forma Iouis in ære. Subſtantiales incompletę alię ſunt materiales, idest, quæ de ſinu materiæ educuntur, de quò in ſequentibus, vti Forma

bou s;

bonis; alia ſpiritualis, vti Anima rationalis; aliæ ſunt informantes, & ſunt omnes incompletæ, aliæ aſſiſtentes, & ſunt Formæ completæ, cùm operantur circa materiam, vti Angeli ex communi opinione in reuolutione Cœlorum: in præſenti autèm de ſolis incompletis ſubſtantialibus, informantibus, & naturalibus tractamus.

Quæres 3. Quomodo probetur dari tales Formas. ℞. Ex eo, quod materia non ſit tota eſſentia rei, nam aliàs, cùm hæc omnibus rebus ſit communis, omnium rerum communis eſſet eſſentia, quòd falſum eſſe patet.

Quæres 4. Quòmodo producantur Formæ. ℞. Omnes excepta ſola Anima humana, quæ immediatè à Deo creatur, & infunditur materiæ, quia ſpiritualis eſt; ex potentiá, ſeù ſinu materiæ educi, ideſt ex virtute præexiſtente in materia ſecundùm diſpoſitiones præhabitas produci: ſic Materia poſtquam ab igne per calorem, & ſiccitatem diſpoſitá eſt, alium ignem elicit, & ex ſuo (vt ita dicam) ſinu educit.

Dices Materia per Ariſt nullius eſt actiuitatis, ergo non poteſt producere Formam. ℞. Concedo antec., & diſtinguo conſequens non poteſt effectiuè, ex virtute propria, concedo: ſubiectiuè, & elicitiuè in virtute diſpoſitionum, vti dixi, & nego.

Quæres 5. An ad eductionem Formę requiratur prioritas temporis in Materia. ℞. Negat Morandus dicens ſufficere prioritatem naturæ: Sed contra, nàm ad eductionem Formæ ex ſinu materiæ requiritur diſpoſitio in materia, quę requirit prioritatem

tem-

temporis; neque enim eodem tempore aliquid poteſt eſſe in actu, & diſpoſitione ad actum eliciendum; ergo &c.

Dices cum Morando, ſicut ſe habet lux ad ſolem, ita Forma ad materiam in ratione eductionis, ſed in priori ſufficit prioritas naturæ, ergo & in poſteriori. ℞. Negando maiorem, nàm immediatè ſine præuia diſpoſitione ſol habet lucem, vti ſuum effectum neceſſarium, & determinatum, ſed non ita eſt in materia, quæ requirit diſpoſitiones, vt dixi.

Dices 2. cum eodē in prima rerum creatione Formæ fuerunt eductæ ex materia, nec tamen ibi fuit præceſſio durationis, ergo. ℞. Negando, quòd tunc fuerint eductę Formæ ex materia, ſed ſunt ei concreatę.

Quæres 6. Vtrùm eadem ſit cauſalitas, qua Forma vnitur materiæ, & qua ex ipſa educitur. ℞. Affirmatiuè; nec enim intelligi poteſt vnum ſine alio in Formis eductis.

Dices prius eſt Formam exiſtere, quàm vniri, quia hi ſunt duo termini diſtincti, ergo & duæ cauſalitates: & confirmatur ex eo, quòd Deus poſſit facere, vt educta Forma non vniatur; ergo hæc duo ſunt diſtincta. ℞. Negando antec., neque enim Deus poteſt pro tunc ſeruata eductione tollere vnionem; ſed poteſt eductam auferre; ſicuti non poteſt facere, vt Forma educatur ſine materia, quamuis poſsit eductam conſeruare ſine materia.

Quæres 7. An formæ Cœlorum ſint eductæ de ſinu materiæ. ℞. negatiuè, ſed fuerunt concreatæ, & ratio petitur ex dictis, quia in ma-

materia non præfuit diſpoſitio ad Formas Cęlorū educēdas, nec prioritas durationis, vndè dic. tur Gēneſ. 1. *In principio creauit Deus Calum, & Terram*.

Dices ſicut ſe habent Formæ ad materiā in facto eſſe, ita & in fieri, ſed in facto eſſe dependent Formę Cœlorum à materia, ergo & in fieri, ergò ſunt eductæ. ℞. concedo totum, excepta vltima conſequentia; nec enim nego dependere, quātùm ad ſuſtentationem, ſed quantùm ad eductionem.

Quæres 8. An Formę primorum elementorum ſint ex materia eductæ. ℞. Si de primordiali eorum origine loquamur, quę fuit ſupra naturam per creationem, negandum eſt; *in principio* quippe *creauit Deus Cælum, & Terram*: vbi, ſi ratio vrget de elemento *Terræ* idem infero de reliquis elementis, vt patet ex ſequentibus verbis, vbi *ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ergo tunc etiam aquæ creatæ ſunt, ſed ſi loquamur de naturali eorum productione; ſic Formæ elementorum ex materia educuntur, vt clarius in lib. de Gen. & Cor. oſtendam.

Quæres 9. An Formæ artificiales educantur de ſinu materiæ. ℞. In Forma artificiali duo conſiderantur, primò eius eſſe naturale, ſeu phyſicum, ſecundò eſſe artificiale, quà tale: de priori eſt quæſtio, non de poſteriori, & dico affirmatiuè, & ratio eſt, quia, ſi tales Formæ ex materia non educerentur, iuxta diſpoſitionem præhabitam, ſequeretur quamlibet materiam poſſe ſubire quamlibet Formam artificialem, quod apparet eſſe falſum.

Dices

Dices Formæ artificiales non continentur in potentia naturali materiæ, ergo &c. R. Verum eſſe quoad artificiales, quà tales, ſed de his (dixi) non eſt quæſtio, ſed ſecundùm earum eſſe phyſicum falſum eſt antec. & ſic nos aſſerimus.

Quæres 10. An formæ ſupernaturales educantur de potentia materiæ. R. Affirmatiuè, & probo inductione, niſi enim homo eſſet homo non eſſet capax gratiæ, ergo ad hanc requiritur particularis potentia ſubiecti; ergo &c. antec. ſuppono, nec enim brutum, vel lapis capax eſt gratiæ iuſtificantis: conſequentia patet, nam educi ex materiæ ſinu eſt poni Formam in materia capaci vide D.Th.1.2.q.112.art.2.

Dices 1. Formæ ſupernaturales non ſunt connaturales materiæ, ergo non educuntur ex eius potentia. R. Non educi ex potentia naturali, ſed obedientiali.

Dices Formæ ſupernaturales ſunt in ſubſtantijs immaterialibus, vt anima, Angelo &c. ergo non educuntur ex materia. R. In hac re non precisè intelligi Materiam primam, ſed quoduis ſubiectum, ſiue ſpirituale, ſiue materiale, quod ſubit rationem materiæ, in quantum eſt ſubiectum talis Formæ.

Quæres 11. An Formæ violentæ educantur ex ſinu Materię. R. Negatiuè, & ratio eſt, quia, ſi educerentur ex materia, iam materia deberet ad illas eſſe diſpoſita, & conſequẽter non eſſent violentæ.

Dices. Materiæ primæ æquè conuenit ferri ſurſum ſub igne, quàm deorſum ſub lapide, atqui ferri ſurſum in igne fit ex capacitate

tate materiæ, ergo motus talis ex illa educitur, ergò ſi lapis feratur violentè ſurſum, ille motus ex ſinu materiæ educetur. ℞. Præterquam quòd hoc argumentum deſtruat ſeipſum, cùm aſſignet Formam naturalem pro violenta nihil concludere: negatur enim vltima conſequentia.

Quæres 12. Quæ ſint proprietates Formæ. ℞. Prima eſt, quòd ſit nobilior materia, ignobilior compoſito 7. metaph. t. 7. & 8. Secunda quòd eadem numero Forma non poteſt eſſe in pluribus materiebus. Tertia quòd ſit principium generationis.

Quæres 13. Quòmodo materia ſit ignobilior Forma. ℞. Diximus, ſuprà quòd materia per Formam perficiatur, nec enim ſine Forma ſentit in animali, nec ſine Forma vegetat in plantis; vndè huiuſmodi perfectiones materia à Forma participat, & quāuis, nec Forma ſine materia ſentiat, aut vegetet, nihilominus illa perfectio venit à Forma, vt infrà oſtendam, & ideò nobilior, & perfectior Materia dicitur.

Quæres 14. Quomodo Forma ſit ignobilior compoſito. ℞. Forma eſt in compoſito, vti pars in toto: pars autem eſt ignobilior toto, quia totum habet perfectionem ſingularum partium, & prǽterea quid aliud.

Dices id per quod aliquid perficitur eſt nobilius eo, quod perficitur, atqui id, quod perficitur eſt totum, & id quod perficit eſt Forma, ergo &c. ℞. Id per quod aliquid perficitur, cæteris paribus, eſt nobilius, concedo; aliàs nego: modò hìc cætera non ſunt paria, ob rationem allegatam in reſponſione

ſione ad quæſitum.

Quæres 15. Cur eadem Forma nequeat duas materias informare. ℞. Quia Forma ad actuationem per ſuam eſſentiam concurrit; cùm autem hæc ſit ex ſe indiuiſibilis, nequit ad plures materias ſe diuidendo applicare.

Dices eadē materia poteſt actuari à duabus Formis, puta carnis, & animæ, ergo etiam eadem Forma poteſt actuare duas materias. ℞. quidquid ſit de antec. non ſequitur, nàm cùm materia actuatur à duabus Formis tantùm ſunt formæ partiales, & ſubordinatæ; ſed hoc in materia non datur.

Quæres 16. An eadem Forma ſaltem ſucceſſiuè poſſit actuare plures materias. ℞. Negatiuè, cùm enim hæc Forma educatur ex hac materia, variatâ materia variabitur Forma, & hæc non erit eadem Forma.

Quæres 17. An hæc ratio etiam valeat de Anima rationali. ℞. Ratio quæſiti eſt, quia Anima rationalis, ex materia non educitur, nec ab illa indiuiduatur. Dico igitur, quòd Anima rationalis etiam iuxta propria principia naturæ, poſſit plures materias ſucceſſiuè actuare, niſi in hoc de ſuper ex decreto Dei impediretur, quò nunc ſingulæ Animæ propriæ materiæ ſunt deſtinatæ, & ratio eſt, quia nulla eſt implicantia, non quidem ex parte Animæ, quia hæc à materia eſt independens; nec ex parte materiæ, quia nōn magis determinatur hæc ad hanc Formam quàm ad illam, vnde infero, quòd, niſi Diuinum obſtaret decretum, Anima hominis iā mortui poſſet aſſumere nouum corpus iam

in

in vtero materno diſpoſitum, quod quidem de facto fieri Pythagorici, & Alii perperàm docuerunt.

Quæres 18. Quomodo Forma ſit principium generationis. R. Diuerſo modo Forma eſt principium generationis, & rei genitę: generationis quidem eſt, non propriè per influxum poſitiuum, ſed vt purè terminus eius, dum enim ipſo actu ſit generatio, tunc Forma non eſt, ſed acquiritur per ipſam, at in re genita eſt principium poſitiuum, vt ſequenti libro oſtendam, vndè magis propriè dicitur principium rei genitæ, quàm generationis.

Quæres 19. An in Forma ſit appetitus ad materiam. R. Affirmatiuè, diuerſa tamen ratione, quam in materia ad Formam, nam Forma cùm ſit de genere boni, bonum autem ſit ſui communicatiuum: ideò Forma quærit ſe communicare materiæ ad quam ordinatur: at materia (vt dixi) appetit Formam, vt perfectibile ſui perfectiuum.

Caput 4. De Priuatione ſubſtantiali.

QVæres 1. Quid ſit Priuatio ſubſtantialis. R. Eſt *abſentia formæ ſubſtantialis à ſubiecto apto habere illam.* Dicitur *abſentia formæ*, quia non poteſt eſſe aliquid poſitiuum, ſed carentia formæ poſitiuæ. Dicitur *formæ ſubſtantialis*, ad excludendas reliquas Priuationes accidentales, de quibus in præſenti non agimus. Dicitur *à ſubiecto apto habere illam* ad excludendas nudas negationes, de quibus in Logica, vbi de Poſtprędicamentis.

Quæres 2. An Priuatio ſit ens. ℞. vt dix non eſt quid poſitiuum 1. Phyſ.t. 75. ſed ſuo modo, tamen eſt aliquod ens, quia addit aliquid ſuprà negationem, nec eſt mera ſictio intellectus.

Quæres 3. Quomodo Priuatio ſit principium phyſicum. ℞. Cùm reliqua duo aſſignata principia concurrant, tàm ad intrinſecam conſtitutionem compoſiti, vt in ſequenti cap. videbimus, quàm ad ipſius generationem in fieri; hæc tamen Priuatio tātùm concurrit ad generationem, vt terminus à quo: hoc in exemplo ſic declaro: Cum generatur *homo* ex *embrione*, vel *ignis* ex *ligno*, ad hoc, vt inducatur forma *hominis*, vel *ignis* oportuit prius iſtis formis materiam fuiſſe priuatam, nec enim formæ poſſunt in materia poni, niſi prius iſtis priuata ſupponatur: & ecce Priuatio; at verò poſtquam iam forma introducta eſt, & compoſitum generatum, neceſſariò debet ceſſare Priuatio; aliàs enim idem ſubiectum priuatum eſſet forma, quam haberet: atque hinc patet, quòd non ſit principium compoſiti in facto eſſe, dixi autem, *vt terminus à quo*, ille enim dicitur *terminus à quo*, à quo res inchoatur, ſicut *terminus ad quem*, ad quem terminatur; modò generatio incipit à Priuatione, id eſt non habere formam ad formam ipſam, quæ eſt terminus ad quem, vnde &c.

Dices ſi Priuatio principiet in generatione, debet ſimul principiare cum forma, & conſequenter ſimul eſſe cum forma, quod apparet falſum: ſequela patet ex eo, quòd cum

cùm generatio ſit tota ſimul,ſi forma,& Priuatio principient in generatione debent ſimul ambę principiare. R. Priuationem,quidem ſimul principiare cum forma, ſed ſic, vt ipſa per ſuum vltimum inſtans attingat primum inſtans formæ, & ſic ipſa, quoad ſuum vltimum eſſe eſt ſimul cum primò eſſe formæ: vndè illud vnum inſtans durationis, in quo ſit generatio communiter diuiditur in duo inſtantia Naturæ, in quorum primo eſt vltimum eſſe Priuationis, in ſecundò primum eſſe formæ: vnde vltrà Priuatio dicitur principiare per ſuum non eſſe, id eſt per ſuum eſſe defitiuum.

Dices 2. Ariſt. quibuſdam locis vocat Priuationem principium per accidens generationis, ergo &c. R. Ariſtotelem intelligendum eſſe, quoad rem genitam in facto eſſe, non quoad generationem in fieri.

Quæres 4. An Priuatio diſtinguatur à materia. R. Aliqui hic diſtinguendum putant de Priuatione proxima, cuiuſque formæ in particulari, & remota omnium formarum in genere: ſed ego ſimpliciter negādum puto priuationem identificari materiæ, eò quia idem realiter non poteſt ſubire rationem cuiuſdem priuatiui, vt ſunt omnes priuationes,& poſitiui,vt eſt materia prima, tùm quia materia ſecundùm ſe abſtrahat ab omni reſpectu formarum, vtpotè proprio actu entitatiuo prædita, vt ſuprà.

Dices Ariſt. hic t. 67. videtur materiam, & Priuationem ratione ſolùm diſtinguere; ergo. R. Oppoſitum potius ex textu colligi, loquens enim de Priuatione dicit, *aliud eſt*

 ſubie-

ſubiectum, licet poſteà dicat de principijs *duo, vt ita dicam numero*, loquitur enim de principijs contrarijs pro tunc ommittens materiam, vt patet ex ipſo textu.

Quæres 5. Quæ Priuatio principiet in generatione. ℞. ſenſus eſt, an vnica tantùm, an omnes, quæ ſunt in materia, & dico vnicam tantùm principiare, illam ſcil., quæ correſpondet formæ introducendæ; cùm enim Priuatio principiet per ſuum eſſe deſitiuum (vt dixi,) nec alia deſinat, quàm oppoſita formæ introducendę, conſequenter nec alia principiat.

Quæres 6. An in omni generatione intercedat Priuatio. ℞. Affirmatiuè ſcil. generatione phyſica, non creatione, & ratio eſt quia nō poteſt forma in materiam introduci, niſi qua prius ſit priuata.

Caput 5. de Compoſito Phyſico.

QVæres 1. Quid ſit Compoſitum Phyſicum. ℞. Nihil aliud eſſe, quàm illud tertium, quod reſultat ex materia & forma, dum vniuntur, vt *homo* ex *anima rationali*, & *materia prima*.

Quæres 2. An vnio, qua vniuntur extrema ſit aliquid diſtinctum ab extremis. ℞. Triplex circa hoc eſt opinio. Prima docet eſſe accidens ſuperadditum. Secunda dicit nihil aliud eſſe ab extremis. Tertia dicit eſſe modum ſubſtantialem ſuperadditum, cui adhæreo, & de prima quidem ſententia parùm curandum, inducit enim manifeſtum abſurdum, quòd omnia compoſita ſubſtantialia

ſint

ſint compoſita per accidens. Contrà ſecundam ſic arguo: ſi vnio non diſtinguatur ab extremis, non poteſt generari aliquod tertium ab extremis, ſingulis per vnionem, quod patet apertè falſum in omnibus compoſitis; ſequela probatur, nec enim poteſt quid tertium realiter generari, niſi fiat aliquod reale ſuperadditum; ſecundò, quia nulla eſſet differentia realis inter formam informantē, & aſſiſtentem, quia ſolùm diſcrepant penès vnionem. Tertiam ſententiam ſic probo, quia ille dicitur modus, qui quidem infert ſubiectum, ſed non èconuerſò; atqui: ergo. Probo mai. vnio enim ſemper importat extrema, ſed ab extremis non importatur.

Dices ſi vnio eſt ſubſtātia diſtincta ab extremis, iam datur quarta ſubſtantia, quod eſt cōtrà Phil.2. phyſ. diuidētē ſubſtātiam in materiam, formam, & compoſitum. ℞. improbari quartam ſubſtantiam realiter diſtinctā à reliquis, non modos ſubſtantiales.

Quæres 3. Quid conſtituat quidditatem Compoſiti. ℞. Omiſſis varijs expoſitionibus dico breuiter quidditatē cōpoſiti conſiſtere in materia, & forma, diuerſo tamen modo, in materia quidem, vti principio communi, in forma autem, vt principio ſpecificante. Patet ex dictis.

Dices per quidditatem res ab alijs diſtinguuntur; atqui per materiam hoc non contingit, ergo. ℞. Res differre per quidditatem completam, non per quamuis partem quidditatis, vt eſt materia.

Quæres 4. Quomodo totum diſtinguatur à ſuis partibus. ℞. procedit quæſitum de par-

tibus ſimul ſumptis, & vnitis, conſtat enim partes ſingulas ſecundùm ſe à toto realiter diſtingui : hoc ſuppoſito famoſa eſt opinio Scotiſtarum, & quorundam Aliorum, totum reale phyſicum à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis diſtingui realiter: ſed placet oppoſita communior ſententia, quam ſic probo. Dum dico compoſitum ex materia prima, & anima rationali, dico hominem, ergo hæc non diſtinguuntur realiter ab homine: conſequentia patet, antec., probatur; eſt enim hominis definitio. Secundò ex argumento allato contra reſponſionem ad quęſ. 2. Ariſtoteles 2. phyſ. res naturales adęquatè diuidit in materiam formam, & compoſitum, ergo præter hæc non oportet aliquod aliud realiter ſtatuere, quod ſit quarta ſubſtantia.

Dices, & eſt ferè vnicum (quod vrgeat) Scotiſtarum argumentum idem non poteſt cauſare ſeipſum, atqui partes ſimul ſumptę cauſant totum, ergo non ſunt ipſum totum. ℞. Negando minorem, nec enim partes, vt vnitæ cauſant totum, ſed vt vniuntur, ſeù in fieri, quando nondùm ſunt vnitæ; dum enim partes ſunt vnitæ, non cauſatur Compoſitum, ſed iam eſt cauſatum.

Dices 2. Partes phyſicæ, non ſolùm ſunt cauſæ in fieri, ſed etiam in facto eſſe, ergo &c. conſequentia patet; antec. probo ex præcedenti cap. quæſt. 3. vbi poſuimus diſtinctionem inter materiam, & formam, quę cauſant, tàm in fieri, quàm in facto eſſe, & priuationem, quæ ſolùm cauſat in fieri. ℞. Me ibi non locutum de cauſalitate materiæ,

&

& formæ, quia ſic non poteſt eſſe ſermo de priuatione, quæ numquam eſt cauſa, ſed de principiatione: vndè concedo partes quidem principiare in facto eſſe., ſed non cauſare.

Dices 3. Contra, redit difficultas. Idem non poteſt principiare ſeipſum, ergo nulla ſolutio. ℞. Idem non poteſt ſeipſum ab intrinſeco principiare, nego, ab extrinſeco, concedo: nec refert quod principium ſit *vndè aliud* quia hoc ſaluatur in diuerſitate formali vel rationis. Vide infra clarius vbi de cauſa materiali quæſ.6.

Quæres 5. Quomodo totum diſtinguatur à ſuis partibus. ℞. Diſtingui ſola ratione ratiocinante, quia à parte rei nullum eſt ſufficiens fundamentum maioris diſtinctionis, cùm in illa ſola omnis diuerſitas ſaluetur.

FINIS LIBRI PRIMI PHYSICORVM.

Tractatus Secundus

Super Librum ſecundum Phyſicorum

Caput 1. De Natura.

QVæres 1. Quid ſit Natura. R. Multiplicem eſſe Naturę acceptionem: aliquando enim ſumitur pro eſſentia cuiuſque entis & ſic *rationabilitas* dicitur de *Natura hominis* eſſe, ſecundò pro vniuerſo, & ſic dicitur *tota Natura concurrere ne detur vacuum*: tertiò pro cauſis naturalibus, *& ſic Natura dicitur nil agere fruſtra*; quartò pro cuiuſque complexione, & ſic *aliquis dicitur Naturâ ideſt complexione calidus &c.*; Quintò pro rerum generatione, & ſic *aliquis dicitur à Natura ideſt natiuitate cæcus*: his autem, & alijs acceptionibus Naturę omiſſis, pro pręsēti accipitur pro principio intrinſeco motus, & quietis, & ſic à Philoſopho d finitur hic t.3. *Principium, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primò per ſe, & non ſecundùm accidens ineſt.* vbi *principium, vt id* &c. ponitur loco generis, vtpotè commune omnibus cauſis: reliqua loco differentiæ, per quam excluduntur cauſę extrinſecæ, finalis ſcil., & efficiens, quæ quidem ſunt principium motus, ſed ab extrinſeco.

Quæres 2. Quomodo Natura ſit cauſa motus, & quietis, cùm ſint oppoſita. R. hoc intelligendum eſſe ſic, non vt in quouis ſit cauſa vtriuſque, ſed in aliquibus ſolius motus,

vt

vt in Cœlis, in alijs ſolius quietis, vt in terra, in alijs tàm motus, quàm quietis, vt in mixtis, ſed ſucceſſiuè.

Quæres 3. Quomodò in præſenti opponantur motus, & quies. R. Putant multi opponi contrariè, Alij, quibus aſſentior, priuatiuè, & ratio eſt; quia poſita ſola priuatione motus ſemper ponitur quies, & è conuersò, ergo.

Dices priuatio nunquam dicit terminum poſitiuum, ſed quies importat terminum poſitiuum, vt de ſe patet, ergo &c. R. Priuationem numquam formaliter per ſe importare terminum poſitiuum, benè autem materialiter, & per concomitantiam, vt vrget argumentum, ſic priuatio formæ ignis importat per accidens, & concomitantiam formam ligni, & quies localis terminum localem poſitiuum.

Quæres 4. Quotupliciter aliquid dicatur Naturale. R. Multipliciter, ac primò pro eo, quod fit independenter a libero arbitrio, & ſic motus primò primi dicuntur Naturales; ſecundò, vt diſtinguitur à violento, & ſic dicitur Naturaliter lignum pati ab igne; tertiò, vt opponitur contingenti, & ſic dicitur homo Naturaliter eſſe rationalis; quartò vt opponitur ſupernaturali, & ſic voluntas, & intellectus dicuntur potentiæ Naturales; quintò demum, vt eſt à Natura iam definita, & ſic lapis fertur Naturaliter deorſum.

Quæres 5. Quibus conuenit diffinitio Naturæ ſuprà allata. R. Materiæ, & formæ diuerſa tamen ratione: materiæ quidem, vt

principio ſubiectiuo motus; formę autem, vt principio effectiuo, & eſt Ariſtotelis hìc t. 10. his verbis *vno igitur modo Natura ſic dicitur prima cuique ſubiecta materia, alio autem modo forma.*

Quæres 6. An priuatio ſit Natura. ℞. Affirmat Morandus 2. phyſ. t. 1. q. 2. ſed placet oppoſitum, quia priuatio non poteſt eſſe cauſa motus, & quietis, cùm cauſa dicat influxum poſitiuum; ſecundò numquam eſt intrinſeca alicui enti Naturali; tertiò inſufficiens eſſet Ariſt. in ipſa diuiſione Naturæ ſuprà allata.

Dices Natura eſt principium motus, & quietis, huiuſmodi eſt priuatio, cùm ex dictis ſit principium generationis, ergo. ℞. Naturam non ſolùm eſſe principium qualecumque, ſed cauſatiuum, quod priuationi repugnat, vt dixi, vndè Ariſt. definiens Naturam t. 3. dicit eſt *principium quoddam, & cauſa, &c.*

Quæres 7. An Natura ſit principium actiuum, vel paſſiuum motus. ℞. Scotus 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 10. dicit Naturam ſolùm eſſe principium paſſiuum: ſed contrà dicendũ, quòd aliqua Natura ſolùm ſit paſſiuum, vt materia, alia principium actiuum, & paſſiuum, vt forma; vndè enim mouetur animal localiter, nùm ab anima actiuè? vndè ignis ſurſum? nùm à forma, & ſic aqua, & terra deorſum?

Dices ſi Natura ageret, deberet agere actiones proprias ſuæ ſpeciei, cuius oppoſitum videmus in animali, cuius propria actio, cum ſit ſenſatio, tamen ſecundùm illam ab extrinſeco immutatur. ℞. Animal

adi

ad ſenſationem efficiendam actiuè concurrere intrinſecè per propriam formam, quāuis concurrat obiectum ad organum immutandum.

Quæres 8. An omnes formæ ſubſtantiales, quæ ex noſtra ſententia correſpondent ſingulis partibus ætherogenis ſint Naturæ. ℞. Pro nunc ſuppono ex infrà dicendis tales formas dari; ad quæſitum autē dico affirmatiuè, & patet inductione, forma enim carnis non habet ſe per accidens ad nutritionem viuentis, ſed vt principium intrinſecum illius, multò magis forma cordis, hepatis, & ſimilium, quæ euidenter cauſant nutritionē, augmentationem, &c. in viuente.

Quæres 9. An artificialia addant aliquid ſupra Naturam à parte rei. ℞. Diximus ſupra lib. 1. c. 3. quæſt. 9. artificiale dupliciter conſiderari, primò, vt ſunt aliquod ens phyſicum, ſecundò, vt artificiale præciſè. Nunc quæritur, an artificiale, vt ſic addat aliquid à parte rei ſupra eſſe phyſicum, & dico negatiuè; ſi enim aliquid à parte rei ſupperadderet, hoc ipſum eſſet ens phyſicum, & tunc non eſſet artificiale, vt tale, ſed vt habet entitatem phyſicam, vndè quidquid in artificiali, vt ſic, conſideratur, eſt mera connotatio ſuæ cauſæ præter ordinem naturæ, in ipſo autem artificiali ſolam ponit denominationem extrinſecam.

Caput 2. de Cauſis in Communi.

QVæres 1. Quid ſit Cauſa. ℞. Eſt *Principium ad cuius eſſe ſequitur aliud per*

 influ-

influxum: dico *principium* loco generis: omnis enim Cauſa eſt principium, ſed non è conuerſò; reliqua autē ponuntur loco differentiæ, vbi nota ly *influxus*, eſt enim hæc ratio formalis omnis Cauſæ; eſt autē influxus virtus, per quam Cauſa attingit effectum, ad excludendas conditiones, ſine quibus non, & reliqua principia, quæ, licet eff ctus ab ipſis dependeat, non tamen verum habent influxum in effectum.

Dices Lux eſt cauſa omnium cæterarum qualitatum, neč tamen in omnes influit; ergo datur aliqua Cauſa ſine influxu, antec. probo nàm iuxtà commune axioma, *quod eſt primum in aliquo genere, eſt Cauſa cęterorū*, ſed lux eſt prima in genere qualitatis, ergo eſt Cauſa omnium qualitatum, quòd autem, non in omnes influat per ſe patet. ℞. Negando antecedens, ad cuius probationem dico, explicando axioma hoc, non intelligendū de Cauſa ſtrictè ſumpta, ſed latè pro norma, ſecundùm quā reliqua omnia cōmenſurātur; ſic ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt primę in genere ſubſtantiæ, ſed non veræ Cauſæ, niſi quatenus vnaquęque alia ſubſtantia dicitur perfectior, & imperfectior, in quantum ab illa prima plùs minùſue diſcedit.

Quæres 2. Quot ſint genera Cauſarum. ℞. Cùm Ariſt. quatuor potiſſimùm; ſcil. materialis, formalis; efficiens; & finalis, quod ſic oſtendo in omni generatione requiritur ſubiectum, vt patet ex definitione generationis, & ecce Cauſa materialis; præterea requiritur terminus ad quē, & hęc eſt Cauſa formalis; deinde, cùm idem non poſſit generatione-

nerare ſeipſum, requiritur aliquod efficiens, ac demum cùm natura nihil agat fruſtra debet ſemper intendere finem, & ecce Cauſa finalis.

Caput 3. De Cauſa materiali.

QVæres 1. Quid ſit Cauſa materialis. ℞. Sic optime poteſt definiri *Cauſa, quæ cauſat ſuſtentatione, tamquam proprio influxu, ſeu cauſalitate*, quod ex ſequentibus clarè patebit.

Quæres 2. quarũ rerum materia ſit Cauſa. ℞. Trium, ſcil. generationis, formę, & compoſiti.

Quæres 3. Quomodo materia ſit Cauſa generationis. ℞. Illam ſuſtentando; cùm enim in generatione fiat lucta inter priuationem, & formam; neceſſariò illa luctatio debet recipi in ſubiecto, & hæc eſt cauſalitas materiæ.

Quæres 4. Quomodo materia ſit cauſa formæ. ℞. Iterùm illam ſuſtentando; cùm enim materia à forma actuetur, vt infrà, neceſſariò viciſſim in materia recipitur, & ab illa ſuſtentatur.

Dices etiam priuatio ſubiectatur in materia, nec tamen ideo dicitur materia eſſe priuationis Cauſa, ergo neque formæ. ℞. Rationem diſparem eſſe, nam ad eſſe Cauſæ requiritur poſitiuus influxus, & terminus; in quo deficit priuatio.

Quæres 5. An etiam materia ſit dicenda Animæ rationalis Cauſa. ℞. Affirmatiuè, licèt enim Anima rationalis non ſit in ſuo

ſuo eſſe,& fieri à materia depēdeat, qui n de facto ſiue ipſa fiat, & fit; tamen pro hac ſtatu, quo materiæ vnita conſtituit cōpoſitum humanū, neceſſario requirit in materia recipi, ad hoc, vt actiones animales promat.

Dices Cauſa materialis non poteſt attingere effectum ſpiritualem: ſed Anima rationalis eſt ſpiritualis, ergo non poteſt attingi à Cauſa materiali. ℞. Diſtinguendo min. Anima rationalis eſt ſpiritualis in entitate, concedo, in operationibus, & exercitijs animalibus, nego, vt & conſequentiam.

Quæres 6. Quomodo materia ſit Cauſa compoſiti. ℞. Eſſe in ſolo fieri, non in facto eſſe, nec quidem in fieri immediatè, ſed mediatè, & (quamuis alios aliter ſentire ſciam) me ſic explico; ſi materia eſſet cauſa compoſiti in facto eſſe, vel in fieri immediatè, deberet cauſare propria cauſalitate, quæ eſt ſuſtentatio (vt omnes concedunt) hoc non, ergo. Probo minorem, non enim ſuſtentat totum compoſitum, ſed ſolam formam, aliàs etiam ſeipſam deberet ſuſtentare, quod apparet impoſſibile: quòd autem mediatè in fieri cauſet compoſitum, ſic oſtendo, nàm mediāte cauſalitate, quàm præbet formæ produc tur compoſitum, vide ſupra trac. 1. cap. 5. quæſt. 4. ad obiectiones.

Dices non magis ſuſtentat formam in fieri, quàm in facto eſſe, ergo, ſi in priori ſit Cauſa compoſiti, etiam erit in poſteriori, ſaltem vt conſeruatiua. ℞. Rationem diſparem eſſe deſumptam ex Sancto Thoma 1. part. quæſt. 104. Art. 1. in corpore, vbi duplex diſtinguit Cauſarum genus, in

fieri,& in facto eſſe; primum dicit eſſe illud, quod ſuam virtutem dat effectui,ſic, vt effectus poſtea contineat virtutem ſuæ Cauſæ, vt contingit in cauſis vniuocis,& tales ſunt cauſæ in fieri tantùm ; iam enim effectus virtutem ſuæ cauſæ cùm in ſe habeat , non indiget vltra influxu ipſius Cauſæ ; aliæ ſunt cauſæ, quæ hoc non faciunt,& ideò ipſis indiget effectus , etiam in facto eſſe . Prioris generis eſt Cauſa materialis , & formalis , quæ ſe totas compoſito communicant , ſic , vt poſtea compoſitum illas in ſe contineat , & ideò ſunt tantùm Cauſæ in fieri .

Quæres 7. Quomodo ſe habeat vnio ad cauſalitatem materiæ. ℞. Putant Aliqui habere ſe, vt effectum ad Cauſam : ſed ego dico eſſe ipſam cauſalitatem ; quòd enim non ſit effectus ſic manifeſto , nàm Cauſa debet eſſe prior natura ſuo effectu : atqui ſuſtentatio , quæ eſt cauſalitas Materiæ, non eſt prior vnione,quinimo è contrà vnio eſt potius prior ſuſtentatione ; neque enim ſuſtentat, niſi vt vnita , ergo &c Hinc dico eſſe omninò eaſdem realiter , formaliter ſolùm diuerſas ; nullum enim ſufficiens fundamentum maioris diſtinctionis poteſt adferri : quòd autē formaliter diſtiguatur ſic probo: alius eſt cōceptus vnionis,& alius ſuſtētationis; prior enim conuenit,tàm formæ,quàm materiæ; poſterior ſoli materiæ, ergo .

Dices Si vnio ſit realiter idē cum cauſalitate materiæ,ſequitur,eamdem realiter eſſe cauſalilatem materiæ , & formæ , quod eſt abſurdum; ſequela probatur, nàm eadem eſt vnio materiæ, & formæ, ergo ſi vnio ſit earum

rum cauſalitas, ſequitur eandem realiter eſſe vnionem iuxta id; *quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſed cauſalitates formæ, & materiæ ſunt eædem vni tertio, ſcil. vnioni, ergo ſunt eædem inter ſe. ℞. Negando primam ſequelã, ad cuius probationem explico axioma quæcumque ſunt eadem realiter, & formaliter vni tertio, ſunt eadem inter ſe, cõcedo; quę sũt eadẽ vni tertio realiter, ſed non formaliter, nego, ſimile reſpondet Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 28. art. 3. ad primum: ad ſaluandam multiplicationem Relationum Diuinarum, licet omnes identificentur Naturæ Diuinæ, & ratio deſumitur ex Ariſt. 3. phyſ. t. 21. vbi per eandẽ rationem ſoluit, quomodò actio, & paſſio realiter diſtinguantur, cùm tamen realiter identificentur vni motui, & quomodò diſcere, & docere identificentur doctrinæ, & tamen inter ſe diſtinguantur.

Quæres 8. An materia cauſet immediatè per ſuam entitatem. ℞. negatiuè ex dictis Tr. 1. cap. 5. quæſ. 2. in tantùm enim cauſat, in quantùm vnitur, cùm vnio, & cauſalitas ſint idem, ſed vnitur per modum ſubſtantialem ipſi ſupperadditum, vt ibi probatum, ergo & ſic cauſat.

Quæres 9. Quomodò materia ſuſtentet accidentia. ℞. Mediante forma ſubſtantiali, quod ſic probo contra Scotum: nullum enim accidens poteſt eſſe in materia, niſi exiſtat: non poteſt exiſtere ſine forma ſubſtantiali, ergo nec ſine illa ſubſtare accidentibus.

Dices materiæ eſt cogna quantitas ergo

attin-

attingit accidens immediatè. R. Hanc quãtitatem non eſſe accidens, ſed ipſam materiæ ſubſtantiam, vide quæ dixi t.1.c.2.q.11.

Quæres 11. Quæ ſint conditiones, ad hoc vt cauſet materia, requiſitæ. R. Ex dictis diſpoſitionem, & approximationem reſpectu formarum ſubſtantialium, at præter hæc reſpectu accidentalium requiritur vnio cum forma ſubſtantiali.

Caput 4. De Cauſa Formali.

QVæres 1. Quid ſit Cauſa formalis. R. At *Cauſa, quæ cauſat actuatione tamquã propriã cauſalitate* dicitur *Cauſa* ſeco generis, reliqua loco differentiæ; eſt autem actuatio nihil aliud, quàm determinatio materiæ ad conſtituendum compoſitum aliquod in ſpecie actu, dix mus enim ſuprà, materiã eſſe in potẽtia ad omnem formam, quæ, cùm illi ſuperuenit, dicitur illã actuare, ſeu de potentia deducere ad actum.

Quæres 2 Quot ſint effectus formæ. R. Duo potiſſimum: materia ſcil. & compoſitum, quod intellige, vt ſupra de materia; generationis autem non poteſt propriè dici cauſa, quia cùm ſit terminus generationis, non eſt prior natura, ipſa generatione.

Vide quæ diximus pro pleniori formalis cauſæ intellectione à quæſito quarto de cauſa materiali vſque ad nonum, & ſeruata proportione huic applica.

Quæres 3. quæ conditiones requirantur ad hoc, vt cauſet forma. R. Duæ potiſſimum. Prima eſt indiſtantia, quæ eſt con-

conditio communis omnibus Cauſis; altera eſt diſpoſitio, non quidem in ipſa Cauſa, ſed in materia, quæ eſt differentia inter Cauſam formalem, & materialem, quòd materialis requirit diſpoſitionem in ſe, at formalis in effectu.

Quæres 4. Quæ ſit indiſtantia requiſita à cauſa formali. ℞. Omnes cauſæ habent hoc commune, quòd requirant contactum, & indiſtantiam; eſt autem duplex indiſtantia, alia virtualis, quæ conſiſtit in hoc, quòd quamuis cauſa, & effectus ſint loco diſtantes, attamen virtus Cauſę peruenit vſquæ, ad effectus, & ſic ſol eſt præſens hiſce ſublunaribus virtualiter; alia eſt realis, quæ in hoc conſiſtit, quòd duæ res ſint realiter in eodem loco; & hæc eſt indiſtantia requiſita à cauſa formali, & materiali, alijs autèm cauſis ſufficit indiſtantia virtualis, vndè patet axioma, quòd *nihil agit in diſtans*.

Quæres. 5. An Deus, vel Angelus per Dei potentiam poſſit cauſare in genere Cauſæ formalis. ℞. Cùm communi contra Fonſecam negatiuè, & ratio eſt, quia tale compoſitum, quod hinc oriretur, vel eſſet compoſitum per ſe, vel per accidens: neutrum horum, ergo non eſt poſſibile; conſequentia tenet, & maior, quia omne compoſitum, vel eſt per ſe, vel per accidens; min. probatur. Non eſſet compoſitum per ſe, quia hoc requirit naturalem habitudinem partium ad inuicem, quod, nec de Deo, nec de Angelis verificatur; non etiam eſſet compoſitū, per accidens, quia hoc ſic definitur *quod componitur ex partibus ad diuerſa prędicamenta ſpectantibus*

ſtantibus, quod iterùm hic non contingeret.

Dices Angelus poteſt eſſe Cauſa materialis, ergo, & formalis: conſequentia valet à pari; antec. probo: Angelus enim multa recipit accidentia, quod eſt illa cauſare ſuſtentando, quod eſt eſſe cauſam materialem. ℞. Si per cauſam materialem nihil aliud intelligatur, quàm ſubiectum receptiuum formæ qualiſcumque, verum eſt antec., vt patet, dum Angelus recipit gratiam, & ſuas intellectiones, ſed tunc non valet conſequentia à pari, & ratio eſt, quia datur aliquod accidens ſpirituale, & conſequenter dicit proportionem ad ſpiritum, ſed non datur materia ſpiritualis; ſi verò per cauſam materialem intelligatur vera materia prima, negatur ant., & probatio procedit in priori ſenſu, non in poſteriori.

Quæres 6. An forma ſublunaris poſſit actuare materiam Cœleſtem. ℞. procedit quæſitum, ſuppoſito, quòd materia Cæleſtis à terreſtri diſtinguatur ſpecie, quòd tamen infrà refellam; nihilominus, data hypotheſi dico negatiuè, etiam iuxta potentiam Dei, & probatur eodem medio, quo fuit reſponſum ſuperiori quæſito, nimirum quia, nec eſſet compoſitum per ſe, quia illa materia nō diceret proportionem ad formas elementores, nec per accidens, quia non eſſent partes diuerſorum prædicamentorum.

Dices Defectus proportionis contendit quidem, quòd naturaliter non poſſit: ſupernaturaliter tamen non videtur hęc ratio ſufficienter concludere. ℞. etiam concludere ſupernaturaliter, tunc enim ſupernaturaliter

non

non concludit, quando improportio poteſt ſuppleri, quod hic non eſt poſſibile; cùm requiratur ab intrinſeco, quod ab extrinſeco non poteſt ſuppleri.

Caput 5. De Cauſa efficiente.

QVæres 1. Quę ſit Cauſa efficiens. ℞. Definitur ab Ariſ. hic t. 29. quod ſit *id, vndè primò, eſt principium mutationis, & quietis*, quod vt intelligatur, nota omnes Cauſas eſſe quidem principia motus, & quietis, ſed omnes aliæ ſupponunt efficientem, vt priorem; nec enim cauſarent, niſi productæ forent ab efficiente, vndè hæc dicitur *principium primò*.

Quæres 2. Quæ ſit Cauſalitas efficientis Cauſæ. ℞. Eſt actio: vndè aliquandò ſic definitur *Cauſa, quæ cauſat actione, vti propriâ cauſalitate*.

Quæres 3. Quotuplex ſit actio. ℞. Duplex ad propoſitum, alia eſt productio, id eſt, quâ res ex non eſſe ponitur in eſſe, alia eſt conſeruatio, ſcil. qua res in eſſe continuatur.

Quæres 4. Quotuplex ſit Cauſa efficiens. ℞. Multiplex eſt eius Diuiſio, ac primò in Cauſam per ſe, & Cauſam per accidens, quarum alia eſt ex parte cauſæ, alia ex parte effectus, ſecundò in phyſicam, & moralem, tertiò in primam, & ſecundam, quartò in totalem, & partialem, quintò in ſubordinatam, & non ſubordinatam, ſextò in vniuocam, & æquiuocam, ſeptimò in neceſſariam, & liberam, octauò in principalem,

&

& inſtrumentalem.

Quęres 5. Quę ſit Cauſa per ſe, & per accidens. ℞. *Cauſa per ſe* eſt, quæ cauſat talem effectum, quatenus talis Cauſa eſt, vti ignis reſpectu caloris; per accidens eſt quæ producit talem effectum, ſed nòn vti talis Cauſa, ſic Rhetor poteſt eſſe cauſa ædificationis, hæc autem eſt duplex: alia ex parte Cauſæ, vt in exemplo allato, alia ex parte effectus, vt ſi ad deſtructionē Domus ſequitur caſus tegulæ in hominem; hoc poſtremum autem fit dupliciter, aut ſic, vt effectus per accidens habeat neceſſariam connexionem cum effectu per ſe, ſic ad introductionem formæ ignis per accidens cauſatur expulſio ligni, aut non habet naturalem connexionem, & ſic ad curſum æqui ſequitur caſus equitis

Quæres 6. Quæ ſit Cauſa Phyſica, & moralis ℞. Cauſa phyſica dicitur illa, quę realiter actione in effectum influit, ſiue ſit increata, vt Deus, ſiue creata, vt Sol: moralis eſt, quæ non immediatè realiter attingit effectum, ſed ſolùm impellendo, & applicando cauſam phyſicam, cuiuſmodi ſunt omnia agentia Phyſica in quantum *talia*.

Dices voluntas eſt agens liberum, & tamen ē eſt vera Cauſa phyſica ſuorum actuum, & non moralis, ergo non omnia agentia libera ſunt Cauſæ morales. ℞. Me addidiſſe *in quantum talia*, ſcilic. libera, vt innuerem agentia libera ſæpè eſſe cauſas phyſicas, ſed tunc addunt aliquid ſupra liberam applicationem, & impulſionem, ſcil. influxum realem.

Quæ-

Quæres 7. Quæ ſit Cauſa prima & ſecunda. R. Prima eſt, quæ agit independenter ab alia, & talis eſt ſolus Deus: ſecunda eſt, quæ agit dependenter à prima, & tales ſunt omnes cauſæ creatæ, de quo infrà latius.

Dices etiam Deus, qui eſt Cauſa prima agit dependenter ab alia cauſa, ergo. Antec. probo, nec enim Deus poteſt cauſare ſenſationem, niſi mediante potentia ſenſitiua, & ob ecto ſenſibili. R. negando antec. ad probationem dico in tali caſu Deum non agere dependenter à potentia ſenſitiua, ſed potentiam ſenſitiuam dependenter à Deo, & ratio eſt, quia illa Cauſa dicitur agere depēdenter, cuius propria eſt actio: modò ſenſatio eſt actio propria potentiæ ſenſitiuæ, non Dei; nec enim Deus ſentit ſed creatura ſenſitiua.

Quæres 8. Quæ ſit Cauſa totalis, & partialis R. totalis eſt, quæ nō indiget alia Cauſa eiuſdem generis, & ordinis ad producendum effectum, partialis verò, quæ indiget concurſu alterius: prioris exemplū eſt ignis ad producendum alium ignem; poſterioris eſt ſol ad generationem hominis; dixi autèm *non indiget alia Cauſa eiuſdem generis, & ordinis*, nàm poſſunt Cauſæ totales indigere cauſis diuerſi ordinis, vt cauſa ſecunda indiget prima, vel diuerſi generis, vt ignis, qui eſt Cauſa efficiens alterius ignis indiget cōcurſu Cauſæ materialis.

Quæres 9. Quæ ſit Cauſa ſubordinata, & non ſubordinata. R. ſubordinata eſt illa, quę requirit aliam ſuperiorem, vel ęqualem ad producendum effectum, non ſubordinata

eſt,

eſt, quæ hoc non requirit: ſic omnes Cauſæ ſecundæ ſunt ſubordinatæ primę, at ſecundę, reſpectu inuicem, aliquæ tantùm: ſic Cauſæ ſublunares in multis ſubordinantur Cęleſtibus, de quo infrà.

Quæres 10. Quæ ſit Cauſa vniuoca, & æquiuoca. ℞. Vniuoca eſt, quæ cauſat effectum ſibi ſimilem in ſpecie, vt vnus ignis reſpectu alterius, pater reſpectu filij. Æquiuoca eſt, quæ efficit effectum diſſimilem in natura, vt Deus, ſol, & terra reſpectu ſuorum effectuum.

Quæres 12. Quæ ſit Cauſa libera, & quæ neceſſaria. ℞. Libera eſt, quæ poſitis omnibus circumſtantijs poteſt agere, & non agere, pro libitu, vt voluntas reſpectu ſui actus. Neceſſaria eſt, quæ poſitis reliquis circumſtantijs neceſſariò debet agere, vt ignis, &c.

Quæres 12. Quæ ſit Cauſa principalis, & quæ inſtrumentalis. ℞. principalis eſt, quæ agit principaliter virtute propria, vt pater reſpectu filij. Inſtrumentalis eſt, quæ agit pricipaliter in virtute alterius cauſę, & minùs principaliter in propria, vt calamus reſpectu ſcriptionis.

Quæres 13. An accidens, vt cauſa principalis poſſit producere ſubſtantiam. ℞. Varij variè ſentiunt, Alij enim negant, Alij vltrà excludunt accidens ab eſſe cauſę inſtrumẽtalis reſpectu ſubſtantiæ, quæ omnia breuitatis ſtudio omittens, dico cum Benedicto Pererio lib. 3. cap. 13. accidens propria virtute eſſe productiuum ſubſtantiæ: eſt contrà omnes ferè, & probatur Et quidem agentis eſt

cauſare

cauſare formam in materia, & expellere cõtrarium, atqui poſterius ſoli conuenit accidenti, vel ſubſtantiæ in vi accidentis, ergo, & prius, vt dùm ignis deſtruendo formam ligni introducit formam propriam in materiam.

Probatur ſecundò clariſſimà inductione. Dato per Dei potentiam calore ad octo, & ſiccitate proportionata in ligno combuſtibili, ſine alio agente ſubſtantiali: quæro, vtrum producetur ignis, nec ne? ſi prius, à quo fuit productus? num ab accidentibus? nàm ſuppono nullum adeſſe agens aliud; ſi poſterius: contrà nàm iſtę qualitates naturaliter ſunt incompoſſibiles cum forma ligni, ergo habent ipſam naturaliter deſtruere. & conſequenter aliam formam ſubſtantialem ſibi proportionatam introducere, ne materia maneat ſine forma, nec valet dicere hunc caſum procedere ex omnipotentia Dei, nàm licet poſitio illorum accidentium in tali materia eſſet miraculoſa, tamen producere poſtea ignem non eſſet miraculum, ſed naturalis effectus, ſicuti accidentia Euchariſtica conſeruantur quidem in hoſtia conſecrata virtute ſupernaturali, ſed ſuppoſita illa poſitione habent naturales affectiones.

Et Confirmatur: Si quis maleuolus, vel ignorans febricitans biberet tantam copiã vini conſecrati, vt ex illa moreretur, quæ eſſet cauſa ipſius mutationis ſubſtantialis? num ſubſtantia vini? nulla adeſt; num accidentia? habebo intentum.

Dices Cauſa debet eſſe nobilior effectu:

acci-

accidens non eſt nobilius ſubſtantia, ergo accidens non poteſt cauſare ſubſtantiam. ℞. Cauſa debet eſſe nobilior effectu in cauſalitate, concedo, in entitate, nego: modò accidens, licèt non ſit nobilius ſubſtantia quoad entitatem, eſt tamen quoad cauſalitatem, & patet ex eo, quòd Cęlũ eſt Cauſa principalis genitorum ex putri, & tamen genita ex putri ſunt multò nobiliora toto Cęlo, vt infrà.

Dices 2. Cauſalitas ſequitur entitatem, ergo ſi accidens ex conceſſis quoad entitatem eſt ignobilius ſubſtantia, etiam erit in cauſalitate, quod eſt contrà reſponſionem obiectionis. ℞. Entitatem conſiderari dupliciter, vel abſolutè, vel reſpectiuè ad cauſalitatem: priori modo ſubſtantia eſt nobilior accidente quoad entitatem, nec ad rem facit: poſteriori modo vrget, & non eſt ſemper nobilior accidente.

Dices 3. Si ſubſtantia ſolũ ageret, & cauſaret aliã ſubſtantiam in vi accidentis, numquam poſſet dici Cauſa principalis, quia nũquam ageret principaliter in virtute propria. ℞. Subſtantiam agere formaliter in virtute accidentis, at radicaliter in virtute propria, quia tota entitas, & cauſalitas accidentis radicatur in ſubſtantia, vnde ſaluatur, quomodò adhuc ſit Cauſa principalis.

Quæres 14. An duæ cauſæ totales totaliter influendo poſſint cauſare eundẽ numero effectum. ℞. Negatiuè, & pro probatione nota, in quo conſiſtat neruus difficultatis, ſcil. in eo, an idẽ numero effectus ſecundùm eãdẽ indiuiſibilẽ rationẽ poſſit à duobus emanare, V.G. an idem numero ignis poſſit adęquatè

qu tè cauſari ab igne A, & idem ipſe ſecūdùm eandem rationem indiuiſam ab igne B, dixi *ſecundùm eamdem rationem indiuiſam*, nàm ſi diuidatur effectus in ſuos gradus inadæquatos perfectionis, nullum eſt dubium: in preſenti ergo quæro, an idem V. G. ignis adequatè à duobus ignibus adæquatè influētibus poſſit cauſari, & dix negatiuè, etiam de potētia Dei, tàm ſimul, quàm ſucceſſiuè, & probatur, nàm duæ neceſſario ſunt actiones illarum Cauſarum, ergo & duo effectus Ant. ſuppono, nàm alias eſſent ambæ eadem Cauſa in ratione cauſæ, conſequentia probatur, nàm actio nō diſtinguitur realiter ab effectu, ergo, ſi actiones multiplicantur, etiam multiplicantur effectus: conſequentia certa. Antec. prob. nàm actio eſt effectus in fieri, ſed effectus in fieri non diſtinguitur ab effectu in facto eſſe, ergo.

Dices Si hoc verum, non poſſet ſaluari reproductio rerum per Deum; cùm enim earum Cauſæ perijſſent nō poſſent eædem numero reproduci. R. Reproductionem fieri actione immediata Dei, qui, vti Cauſa vniuerſalis in ſe eminenter continet omnem cauſalitatem; noſtra autem ratio, & reſpōſio procedit de Cauſis creatis.

Quæres 15. An Deus, vt Cauſa prima immediatè concurrat ad omnem effectum Cauſæ ſecundæ. R. pro materiæ captu nota in titulo ly *immediatè* dupliciter ſtare; vel ſic, vt Deus immediatè omnia cauſet ſine mediatione Cauſæ ſecundæ, & hoc patet ad ſenſum eſſe falſum, ſecundò ſic, vt Deus ſimul cum cauſa ſecunda immediatè, ſua vir-

tute

tute attingat effectum, & eſt dicere, vtrum Cauſa ſecunda poſſit aliquid agere ſine eo, quòd immediatè à Deo moueatur, & vti ſentit Durandus 2. diſt. 27. quæſt. 1. ſufficiat, quòd Deus ſemel pro ſemper indiderit virtutem cauſatiuam, ait enim, quòd ad hoc vt homo loquatur, V. G. ambulet, currat &c. non indiget particulari Dei influxu, ſed ſufficit, ſemel pro ſemper, ipſi à Deo inditam eſſe potentiam locutiuam, & ambulatiuam, & curſiuam: verùm, hac opinione iam dudum ex ſcolis eiecta, de fide ferè aſſeritur oppoſitum, Deum ad omnem effectum cauſæ ſecundæ immediatè concurrere, & ratio eſt, quia omnis creatura dependet immediatè à Deo, vtpotè ens per participationem, ſed omnis actio cauſæ creatæ eſt creatura; ergo dependet immediatè à Deo: maior eſt de fide; minor manifeſtè vera; cõſequentia legitima in forma.

Quæres 16. An Cauſæ ſecundæ indigeant prædeterminari à cauſa prima, vt agant. R. Affirmant Thom iſtæ dicentes Cauſam ſecũdam nunquam cauſare, niſi à Deo præmoueatur, & determinetur ad agendum quam Dei actionem vocant prædeterminationem phyſicam, ſed oppono, quia iſta prædeterminatio ponit aliquid in creatura, & efficit, vt & ipſi concedent tunc quæro an vt Cauſa ſecunda, nec ne? ſuppono quòd vt cauſa ſecunda. ergo indigeb t alia prædeterminatione, & hæc, vtpotè creatura indiget alia, & ſic in infinitum; quòd ſi reſpondeatur ſiſtendam eſſe in prima prædeterminatione; cur illa cauſa ſecunda minus indiget præde-

terminatione, quàm aliæ? non video.

Dices Cauſa ſecunda non agit, niſi mota à prima, etiam ſecundùm Ariſtotelem ergo. R. Non moueri per prædeterminationē, ſed per coniunctionem actionis, pro quo.

Quæres 17. Quomodo Cauſa prima, & ſecunda agant ſimul. R. Tres ſunt modi, iuxta quos Varij in varias abierunt opiniones Primus eſt ille, quem attuli ex ſententia Durandi quæſt. 15. alius, quem attuli ex ſententia Thomiſtarum quæſt. 16., tertius ex ſententia communi, quem in preſenti adferam, conſiſtitque in eo, quòd actiones coniungātur, ſic, vt vna ab alia cauſetur ad modum, quo ſimul naturale frigus aquę, & rigor hyemalis Cœli coagulant glaciem; hic enim primò naturalis vis aquę frigefactiua, & Cęlū concurrunt ſimul agendo, ſecundò frigus aquæ ſimultaneè cauſatur a cęlo, & pariter Deus, & Cauſa ſecunda primò ſimul agunt, ſecundò Deus ipſam actionem cauſæ ſecundæ efficit.

Quæres 18. An quodlibet poſſit à Deo eleuari ad producendum quodlibet. R. Negatiuè; nec enim ex potentia formicæ poteſt elicere actionem intellectualem V. quæ dicam infrà Metaph. tract. 5. quæſt. 5. de potentia obedientiali.

Caput 6. de Cauſa Finali.

QVæres 1. Quæ ſit Cauſa Finalis. R. Eſt *in cuius gratiam aliquid fit*; vt V. G. viſitatio amici eſt cauſa finalis ambulationis, vel è contrà.

Quæ-

Quæres 2. Quæ ſit eius Cauſalitas. ℞. Eſſe efficacem motionem potentiæ appetitiuę ad hoc, vt in eius gratiam aliquid fiat, vt in exemplo allato motio voluntatis ad viſitãdum amicum eſt cauſalitas Finis, ſcil. viſitationis: dixi autem *efficacem motionem* niſi enim efficaciter moueatur voluntas, non ponetur in actu Cauſæ.

Quæres 3. Quæ neceſſariò concurrant cũ cauſa finali ad hoc, vt agat. ℞. Primò bonitas finis, bonum enim, & finis conuertuntur, ſecundò cognitio illius boni, non enim poteſt moueri potentia ad volendum finem, niſi eum præcognouerit iuxta maximam *nihil volitum, niſi præcognitum*, tertiò poſſibilitas finis, ſaltem putata.

Quæres 4. Quæ ſit ratio obiectiua Cauſæ finalis. ℞. Quid ſit ratio obiectiua, pro nunc ſuppono ex infrà dicendis in Metaphyſ.; eſt autem nihil aliud, quàm ratio intrinſeca rei, qua talis; quæritur ergo, in quo conſiſtat ratio intrinſeca Finis, & dico eſſe bonitatē, ſaltem putabilem; nihil enim appetitur, vt Finis, niſi bonum, ſaltem putatum; dico *ſaltem putatũ*, nàm ſępè aliquid deſideratur, vt Finis bonus, qui bonus non eſt, ſic peccator appręhendit peccatum, vt ſibi bonum, quod tamen non eſt, & hoc quidem tripliciter, vel ſub ratione boni honeſti, vt ambitioſus, vel delectabilis, vt luxurioſus, vel vtilis, vt auarus.

Dices. Damnati in inferno volũt Deo malum ſub ratióne mali; ergo non ſemper appetitur Finis ſub ratione boni. ℞. Damnati appetunt malum, vt Deo malum, ſed bo-

num ſibi, ſaltem apprehẽſum; cùm enim videant Deum ſibi infeſtum pœnis, apprehendunt, vt bonum, ſi per malum Dei ſua mala ceſſarent.

Quæres 5. An cognitio ſit de ratione intrinſeca Finis. ℞. Negatiuè; cognitio enim eſt in appetente Finem, non in fine; ſi autem eſſet intriſeca Fini, deberet eſſe in ipſo Fine, aduenit autem cauſalitati Finis, vt conditio ſine qua non, vtpote quatenus de natura volenti eſt cognoſcere.

Quæres 6. Quenam cognitio ad Finem requiratur. ℞. Formaliter requiri intellectiuam, æquiualenter autem ſufficit quælibet, etiam ſenſitiua, & quidem practica non ſpeculatiua tantùm; niſi enim res hìc & nũc bona cognoſcatur, numquam mouebit potentiam hic & nunc, vt patet in peccatore, qui ſpeculatiuè ſemper cognoſcit præferendam virtutem vitio, & tamen practicè ſequitur vitium, quod iudicat hìc & nũc melius virtute.

Quæres 7. An Deo conueniat agere propter finem. ℞. Affirmatiuè, & ratio ſumitur 18. prouerb. *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus*. Vndè ſic arguo. Illud dicitur agere propter Finem, quod ordinat vnum ad aliud; atqui Deus omnia ordinat ad ſe ſuamque gloriam, ergo.

Dices. Deus nullam habet cauſam, ergo nec finalem, ergo non agit propter Finem. ℞. Deum alio modo, quàm nos agere propter Finem; ipſe enim agit ſine motione propter ſe, nos autem à Fine mouemur, & ideò in nobis eſt Cauſa, non in Deo.

Quæ-

Quæres 8. An homo, & Angelus agant propter Finem. ℞. Affirmatiuè, ac de Angelo patet Daniel. 9. vbi dicit Gabriel Danieli *veni, vt docerem te*. De homine, patet ex Phil. 2. phyſ. t. 49. vbi ait *eorum, quæ fiunt, alia quidem propter aliquid fiunt, alia verò non*.

Quæres 9. An bruta agant propter Finem. ℞. Agere propter Finem æquiualenter, non formaliter, & patet ex dictis quæſt. 6. in tãtum enim agunt propter finem in quantum cognoſcunt finem, ſed tantùm cognoſcunt æquiualenter cognitione ſenſitiua, ergo &c.

Quæres 10. An omnia agentia naturalia agant propter Finem. ℞. Affirmatiuè: natura enim nihil agit fruſtra, ſed omnia ex intentione finis; licèt enim quæuis res in particulari finem non cognoſcat, cognoſcit tamen Natura naturans, ſeù vniuerſalis, id eſt Deus, & ſic omnia agentia naturalia, ſecundùm quòd à Natura naturãte in finem diriguntur, agunt propter finem.

Quæres 11. Quomodo finis cauſet, cum nondum ſit. ℞. Huc ſpectat illud axioma *Finis eſt vltimus in exſecutione, ſed primus in intentione*; licèt enim nondum ſit exſecutiuè, cùm cauſat, eſt tamen in intentione agentis.

Dices Hinc ſequitur Finem non eſſe Cauſam realem, ſed ſolùm intentionalem. ℞. Negando ſequelam, realiter enim mouet potentiam, & hac mediante influxit in media realiter.

Quæres 12. Ad quod genus Cauſæ reducenda ſit idealis, & exemplaris. ℞. Cauſa exemplaris, ſeù idealis nihil eſt aliud, quàm

G 4 ima-

imago alicuius rei faciēdę in mēte alicuius, vt idea domus in mente architecti; quęritur ergò, an, & in quo genere exemplar cauſet exemplatum, vel in genere cauſæ efficientis, (vt voluit Scotus,) vel formalis (vt voluit S. Thomas;) Puto ego adhærendum Scoto, idæa enim eſt maximè extrinſeca exemplato, & ſi conſideretur, vt forma ſolum erit repræſentatiua, non cauſatiua. Agit vlcrà in artificis intellectum, & hoc mediante in exemplatum, extrà quod eſt omninò, & cōſequenter, non vt forma eius, quàmuis ſecundùm quid poſſit dici formalis cauſa, ſecundùm quid efficiens.

Caput 7. De Caſu, Fortuna, Fato, & Monſtro.

QVæres 1. Quid ſit Fortuna. ℞. Huculque de cauſis per ſe agimus, nunc cum Ariſt. de cauſis per accidens tractamus, quarum duæ ſunt ſpecies, Caſus ſcil., & Fortuna: eſt autem Fortuna *Cauſa per accidens in his, quæ per electionem alicuius gratiâ fiunt*, ita Phil. 2. phyſ. t. 51. Senſus eſt fortuna eſt, cùm agēti ex intentione aliquid præter intentionem accidit, V. G., Cùm aliquis fodiens terram animo iaciendi fundamenta pro domo inuenit theſaurū, illa inuentio dicitur fortuita, & foſſio terræ dicitur Fortuna.

Quæres 2. Quid ſit Caſus. ℞. Eſt *Cauſa per accidens in ijs quæ ſine electione alicuius finis rarò cōtingūt*, vt caſus lapidis, ex tecto, quo occiditur homo, dicitur Caſus, quia nec hoc, nec aliud intendebatur.

Quæ-

Quæres 3. In quò differant Caſus, & Fortuna. R. In hoc, quòd accidat caſus, non ex intentione alterius rei;nihil enim aliud erat intentum, dùm làbitur caſualiter lapis ex tecto in caput hominis; Fortuna autem, fit quidem, præter intentionem, aliud tamen erat intentum, vt in exemplo allato erat intenta fabricatio fundamentorum.

Quæres 4. Reſpectu quorum agentium contingant hæ cauſæ. R. Caſus reſpectu irrationabilium, quę nullum finem intendunt, Fortuna reſpectu rationalium; nihil autem reſpectu Dei horum accidit, cui nihil eſt innopinatum caſuale, vel fortuitum.

Quæres 5. Quid, & an ſit Fatum. R. Fatum eſt *infallibilis ordo Dei Cauſis ſecundis præſcriptus, quo neceſſariò ſuos promunt effectus*, & datur de factò reſpectu cauſarum naturalium, non liberarum, & ſic expoſitum eſt de fide.

Quæres 6. Quid ſit Monſtrum. R. Eſt *cùm Natura particularis aliquem producit effectum contrà intentionem Naturæ vniuerſalis*, vt cùm homo naſcitur, cum capite ferino; & ſimilia, nec enim Naturæ communis hæc poteſt dici intentio, quæ omnia (quam perfectiſſimè poteſt) intendit..

Tractatus Tertius.

Supra Librum Tertium Phyſicorum.

Caput 1. *de Motu*.

QVæres 1. Quid ſit Motus. ℞. Cùm Ariſt. hic t. 6. *Motus eſt actus entis in potentia, quatenus eſt in potentia*, quod ſic explico, cùm aliquod ens ſit in potentia ad aliquem actum, ſeù formam; vt paries ad albedinem, aer ad lumen, ſuperueniente iſto actu; albedine ſcil., & lumine dicitur, illud ens moueri, & ille actus, ſeu ſuperueniencia illius actus dicitur Motus; illa autem forma dicitur terminus, ad quem, alia, quæ recedit, vel vndè inchoatur Motus, dicitur terminus, à quo.

Quæres 2. Quòt ſint ſpecies Motus. ℞. Præſupponi primò debet quòd Ariſt. ſepè nomē Motus, & mutationis indiſtinctè accipiat, & ſic latè ſumptus diuiditur in inſtantaneum, & ſucceſſiuum; inſtantaneus, qui propriè mutatio dicitur diuiditur in generationem, & corruptionem; ſucceſſiuus, qui propriè Motus dicitur; diuiditur in alterationem, augmentationem, decretionem, & lationem, ſeu motum localem.

Quæres 3. An dicta definitio competat, tàm inſtantaneo, quàm ſucceſſiuo Motui. ℞. Affirmatiuè, & maxima difficultas eſt de motu inſtantaneo, de quo cōtrouertitur inter DD. & ſic probatur à definitione Motus eſt actus &c., ſed talis eſt inſtantaneus; ergo &c. min. prob. dùm enim ex ligno generatur.

tur ignis, materia ligni ante erat in potentia ad formam ignis, quæ potentia, ſuperueniente forma ignis, ad actum deducitur.

Dices Motus inſtantaneus eſt totus ſimul, & conſequenter non denominat ſubiectum, partim in actu, partim in potentia, quod tamen videtur exigere definitio Motus. ℞. Definitionem Motus non exigere, præcisè, vt ſubiectum ſimul ſit, partim in actu, & partim in potentia, ſed ſic, vt quod antè erat in potentia, nunc reducatur ad actum.

Quæres 4. An definitio Motus conueniat vniuocè omni Motui. ℞. Conuenire vniuocè omni Motui poſitiuo, nàm conuenit ſub vna definitione, vt patet ex dictis: Conſiſtit autèm hæc ratio vniuoca in tranſitu à non eſſe ad eſſe præcisè, ſic lignum in quantum tranſit à non eſſe ignis ad eſſe ignis, dicitur moueri; ſimiliter aer in quantum tranſit à non eſſe lucidi ad eſſe lucidi, &c.

Dices, Motus non diſtinguitur realiter à termino ad quem, ſed non omnes termini ad quem conueniunt in ratione vniuoca, ergo nec Motus. ℞. Negando conſequentiam; licèt enim termini ad quos in ſua entitate non habeant rationem vniuocam, participant tamen omnes vnum modum communem in fieri, qui eſt Motus.

Quæres 5. An ſucceſſio ſit de eſſentia Motus. ℞. Sermo eſt de Motu ſtrictè ſumpto, pro acquiſitione ſcil. Formæ accidentalis in quo diſtinguunt Authores; vel enim terminus ad quem ſuſcipit magis, & minus; & habet cõtrarium, vel non; ſi non, iam non oportet acquiri ſucceſſiuè, ſed poteſt fieri in inſtan-

ti, vti patet in illuminatione aeris, quæ non habet contrarium: ſi ſic, ordinariò quidem eſt ſucceſſiuus, ſed hoc ad eius naturam non requiritur; poſſum enim omni momento acquirere nouum terminum motus, quò ſi terminum adæquatum motus ſpectemus, ſucceſſionem ponere neceſſe eſt; nec enim mouetur ſubiectum de frigido in calidum, niſi per gradus ſucceſſiuè expellatur frigus, vt patet experientia, nec tamen hoc valet, ſi Motus ſiſtat in termino inadæquato, vel ſecundùm eſſentiam conſideretur, quæro enim cùm Motus ſecundùm multos ſit ſucceſſiuus eſſentialiter, an in partibus minimis durationis fuerit Motus, nec ne; ſi prius iam habetur intentum; ſi poſterius quomodo ergo continuatur ſucceſſiuè?

Dices idem argumentum valet de tẽpore, quod tamen eſſentialiter eſt ſucceſſiuum. ℞. Negãdo paritatem, ſingulæ enim partes Motus ſunt eſſentialiter Motus, ſed non ſingulæ partes temporis ſunt tempus, ſicuti nec ſingulæ partes numeri ſunt numerus.

Quæres 6. Vndè ſpecificetur Motus. ℞. A termino formali ad quem; pro quo nota terminum ad quem dupliciter conſiderari, primò materialiter, & eſt id præciſè, in quo ſiſtitur Motus, nec hic habet ſpecificare Motũ, ſæpè enim in multis Motibus eſt vnus; ſecũdò formaliter, & hic eſt cum relatione ad terminum à quo, & mediũ, habetq; propriè ſpecificare motum; hinc generatio hominis dicitur talis, quia eius terminus eſt homo, & motus localis dicitur talis, quia eius terminus eſt locus.

Dices

Dices. Si ex bipalmari fiat tripalmaris, erit augmentatio, quòd ſi ex quadripalmari fiat tripalmaris, erit diminutio; ecce ergo, quòd duo ſpecie motus habēt eumdem terminum ad quem, & conſequenter &c. R. Eſſe eumdem terminum materialiter, non formaliter, quia habet diuerſos reſpectus ad terminos à quibus.

Dices. Motus circularis, & rectus ſępè habeāt eoſdem terminos ad quos cum eiſdem teminis à quibus; ergo. R. Habere tunc diuerſos reſpectus ad media, & conſequenter non eſt vnus terminus formaliter.

Quæres 7. Vndè Motus indiuiduetur. R. Infra in metaphyſica probabo omnes res immediatè à ſeipſis indiuiduari; pro nunc ergo quæro de illis, quæ ab extrinſeco ad hoc faciunt, quamuis ſciā Alios hoc non ita exponere: ſit interea reſponſio ex Ariſt. lib. 6. t. 35. motum ſumere vnitatem ab his quatuor, primò à mobili; variato enim ſubiecto variatur Motus, ſecundò à tempore, hoc eſt non interrupto; ſi enim interrūpatur tempus non erit vnus, ſed duo Motus, tertiò à motore, ſeù cauſa, quia duę cauſæ non poſſunt eundem effectum, ſecundùm eandem indiuiſibilem rationē producere, quartò (& hæc eſt ratio intrinſecè indiuiduans motum) terminus ad quem materialiter ſumptus.

Dices 1. Si animal deferatur de vno loco ad alium, & in medio moriatur, tunc variatur mobile, & tamen vnus continuatur Motus, ergo vnitas Motus

non

non dependet à ſubiecto. ℞. Per mobile hìc non intelligi totum compoſitum, ſed materiam cum diſpoſitionibus remanentibus ad Motum, quæ hìc eædem manent.

Dices 2. Ariſt. Dicit eumdem eſſe Motum, quo manus tangit plures chordas vnius citharæ, & tamen diuerſum eſt mobile; ergo &c. ℞. Eſt idem Motus manus, ſed non chordæ.

Quæres 8. Vndè ſumatur contrarietas Motus. ℞. A termino formali ad quem, indè enim ſumitur contrarietas ſpeciei, vndè ſumitur ſpecies, atqui hæc ſumitur à termino formali ad quem, ergo: &c.

Quæres 9. Quomodo Motus diſtinguatur à termino ad quem. ℞. Putant aliqui ſola ratione diſtingui, vt Tolet. Perer. &c., Alij (quibus aſſentior) aiunt diſtingui modaliter, & ſic probo, alius enim eſt modus rei in fieri, alius in facto eſſe; quod vt clarius pateat.

Dices 1. Illa diſtinguuntur modaliter, quorum vnum poteſt ab alio ſeparari, ſed non è conuersò, sèd ſic non ſe habet Motus ad terminum ad quem, ſeparatur enim motus à termino ad quem, & terminus ad quē, à Motu; ergo. ℞. Negando min:, & patet inductione. Detur alteratio aeris à calore ad frigus, terminus ad quem eſt frigus, quod quidem poteſt ſeparari à tali motu, vt patet dum motus ceſſat, ſed impoſſibile eſt dari talem alterationem ſine frigore.

Dices 2. Si Motus diſtinguitur realiter modaliter à termino ad quem, oportet ipſum per aliu m Motum produci, & hūc per aliū,

&.

& ſic in infinitum, quod eſt abſurdum. R. Negando ſequelam.

Quæres 10. Quo modo diſtinguatur Motus ab actione, & paſsione. R. Cum Ariſt. hic t. 21. diſtingui ſola ratione ratiocinata, quid enim aliud eſt calefactio paſſiua, niſi introductio paſſiua caloris in ſubiectum, & ſimiliter actiua?

Dices Actio, & paſſio realiter diſtinguuntur; ergo non ſunt idem vni tertio, ſcil. Motui. R. Negando ſequelam; poſſunt enim aliqua duo realiter diſtincta vni tertio ſecundùm diuerſam rationem identificari, vt docet Ariſt. l.c. & hìc contingit.

Caput 2. de Continuo.

Quæres 1. Quid ſit Continuum. R. Eſt *quantum, cuius partes inuicem ſunt vnitæ*, pro cuius captu nota differẽtiam inter Contiguum, & Continuum; Cõtiguum enim dicit ſolam iuxtà poſitionem partium, vt cùm manus manum tangit, Continuum verò dicit partium intrinſecam vnionem, vt eſt in partibus corporis.

Quæres 2. An Continuum componatur ex ſolis athomis. R. Athomus nihil eſt aliud, pro præſenti quàm pars indiuiſibilis alicuius quanti; ſenſus ergo eſt, an omne Continuum ex ſolis partibus ſimpliciter indiuiſibilibus componatur, vt voluere antiqui Philoſophi, & moderni multi, an verò partes Continui quantum ex ſe eſt in infinitum ſine fine ſint diuiſibiles, vti Peripatetici omnes cum Philoſophorum principe docent.

docent; licèt nonnulli, etiam inuitum Ariſtotelem pro ſe in contrarium torquere conentur, ſed quàm rectè videamus. Dico igitur, impoſſibile eſſe, quòd athomi aliquod continuum per ſe componant, quod ſic probo. Si Continuum componatur ex indiuiſibilibus partibus, vel iſtæ vnientur ſecundùm e totas, vel ſecundùm ſui partes; non poſterius, vt omnes concedunt, quia partes non habent, ergo prius: Sed contrà, quia partes, quà vniuntur, non poſſunt extendere totum, ergo ſi ſecundùm ſe totas vniantur, ſecundùm ſe totas non extendent, & conſequenter nihil Continuabunt. Antec. probo, nàm extenſio dicit poſitionem partis extrà partem; ergo quà vniuntur, non extendunt, & conſequenter nihil continuant.

Secundò Concipiantur duo circuli concentrici, quorum maior contineat minorem, & contineat athomos mille, minor verò ſexcentos, ducanturque lineæ à ſingulis punctis circuli maioris vſque ad centrum, abſque dubio omnes lineæ habent pertranſire punctum circuli minoris. tunc quæro, vtrum ſingulæ lineæ in circulo minori tangant ſingulas athomos? ſi ſic, ergo erunt mille athomi in circulo minori, quod eſt contrà ſuppoſitum, ſi non, ergo penetrabunt ſe lineæ, de quo iterum quæro, vtrum ſic ſe penetrent, vt binæ lineæ tranſeāt ſingulas athomos: & hoc non, quia ſic ſolùm eſſent quingentæ lineæ in circulo minori, quod eſt contrà ſuppoſitum, vel binæ lineæ tranſeant athomum, & partem athomi, & hic corruit natura athomi, quæ non habet partes.

partes:explicent igitur Democritei Athomiſtæ, quomodo hoc contingat.

Tertiò conſideretur motus primi mobilis, & Muſcæ, ſi enim vterque componatur ex athomis, vterque erit æquè velox, quo quid abſurdius? ſequelam probo, eo enim inſtanti, quo primum mobile facit vnam athomum, vel Muſca mouetur vel non; ſi prius non poteſt minùs, quàm moueri ad athomum, & ſic de ſecundo inſtāti, & de tertio, & de cæteris, & conſequenter Muſca, & primnm mobile æqualiter mouebuntur; ſi non, contrà, quia hoc eſt ſuppoſitum, & patet ad oculum.

Hic conantur effugere Athomiſtæ dicēdo Muſcam vno inſtante moueri ad athomū, ſed poſtea per mille quieſcere, non ſic contingere in primo mobili, quod non tantum quieſcit, atque hi conſequenter admittunt omnem motum, dum fit, eſſe æqualem, ſed dici tardiorem propter interſtitium quietis.

Sed profectò ocularem impugnant experientiam, ſi enim Muſca moueatur per athomum, & poſteà per mille quieſcat, multò magis videbitur iſta quies per mille inſtātia, quàm motus per vnum, nullus tamen vmquam fatetur ſe oculariter aſſecutum eſſe quietem, vt Alij motum.

Dices 1. Non poteſt dari proceſſus in infinitum, ergo non ſunt partes diuiſibiles in infinitum in compoſito. R. Cōcedo totū iuxta naturalem proceſſum ſecùs ſi Dei virtutem attendamus: item in partibus eſſentialibus, non integralibus.

Dices 2. Si partes in compoſito ſēper ſunt diui-

diuiſibiles, hoc eſt quia continent alias partes vnitas, ſed ſic eſt, quòd per Deum poteſt tolli in compoſito omnis vnio, ergo tunc partes non continebunt alias partes, & erũt indiuiſibiles. ℞. Deum non poſſe omnem vnionem remanentibus partibus tollere, vt aſſerunt Thomiſtæ de materia prima, quæ deſtructa omni vnione neceſſariò annihilatur.

Caput 3. De Infinito.

QVæres 1. Quid ſit Infinitum. ℞. Directum Infiniti conceptum non facilè eſt aſſignare, infinitum enim, vt ſic (inquit Ariſt.) eſt ignotum, optimè tamen ab eodem ſic deſcribitur hic t. 62. *Infinitum eſt, cuius ſemper eſt aliquid extra accipere*. Senſus eſt infinitum eſt illud, à quo, quantum demas, ſemper adhuc aliquid, præter dempta, reſtat.

Quæres 2. Quotuplex ſit Infinitum. ℞. Duplex cathegorematicum, & ſyncathegorematicum. Prius eſt, cuius partes actu exiſtunt; poſterius, cuius partes non exiſtunt actu, ſed in potentia, ſic Charitas dicitur poſse eſſe Infinita in potentia, hoc eſt ſic, vt ſemper ei poſſint partes addi, ſed non actu ſic, vt actu habeat gradus Infinitos.

Quæres 3. An dabile ſit per Deum Infinitum actu. ℞. Vtraque pars ſuos habet fautores. Ego cum negantibus ſentio; ſi enim daretur numerus Infinitus hominum multò plures eſſent capilli, & conſequenter daretur numerus maior Infinito, quòd eſt abſurdum.

Re-

Reſpondent poſſe dari numerum Infinito materialiter minorem, & maiorem, non formaliter, vt hic contingit. Sed contrà, quia Infinitatis formalitas deſumitur à materiali; ergo, ſi materialiter eſt maior, etiam erit formaliter. Antecedens patet, quia, ſi materialiter auferatur Infinitas, etiam auferetur formaliter.

Dices 1. Res poſſibiles ſunt Infinitę; ergo poſſunt à Deo fieri, quia omne poſſibile poteſt fieri à Deo. R. Eſſe Infinitas potentia, ſed non actu, & eſt dicere, quòd Deus, quantum faciat, adhuc poteſt vltrà facere, quòd importat Diuinam omnipotentiam, & poſſibilitatem Creaturarum in infinitum ſyncathegorematicè.

Dices 2. Deus Cognoſcit actu Infinita, ergo poteſt illa facere; quia tam facilis eſt Deo productio, quàm cognitio. R. Non ſequi; neque enim Deus poteſt facere omnia, quæ cognoſcit, cū ſępè ſit defectus in Creaturis, cognoſcit enim ſimul duo contradictoria, nec tamen ea poteſt facere.

Quæres 4. An, ſi daretur Infinitum, actu haberet principium. R. Negat Ariſt. 3. phyſ. t. 80. his verbis *Infiniti enim non eſt principium*, ſed exponendus eſt, vel enim eſt ſermo de Infinito entitatiuè, vt eſt ſolus D. O. M., vel dè Infinito ſecundùm quantitatem, & ſic principium haberet ſui productiuū, niſi forſitan intelligatur de principio ſituali ſecundùm partes.

Tractatus Quartus

Supra Librum 4. Phyſicorum.

Caput 1. *De Loco, & Vbicatione.*

QVæres 1. Quid ſit Locus. R. Definit eum Ariſt. hic t. 42. *Locus eſt ſuperficies vltima corporis continentis immobiliter*, quæ quidem definitio, non tantùm ab Antiquis, verùm etiam à grauiſſimis Ariſt. Interpretibus impugnatur: nec immeritò, placet enim (depoſita autoritate Philoſophorum principis) eorum ſententia, qui Locum, non hanc ſuperficiem, ſed ſpatium intermedium ſtatuunt; pro cuius captu vtrãque ſententiam explicabo. Ariſt. ergò dicit Locum nihil aliud eſſe, quàm ſuperficiẽ corporis ãbientis, V.G. aeris aut aquę &c. dum enim quis eſt in aqua, vndequaque ab aqua continetur, & iam de facto homines ab indumentis, & indumenta ab aere: huius ergò vltima pars, quæ contingit locatum, ab Ariſtotele Locus dicitur: Alij contrà ſpatiũ, quod corpus occupat contentum intra dictam ſuperficiem pro Loco ſtatuunt, & meritò; quomodo enim ſaluatur immobilas Loci in dicta ſuperficie, quæ continuò mouetur, nec tamen locus mouetur, vt patet in turre, quæ vndequàque expoſita ventis continuò ſuperficiem mutat, nec tamen dicitur mota localiter. Secundò Locus, (iuxtà omnes debet eſſe æqualis locato, nec tamen hoc in ſuperficie ſaluatur, quæ ſolum habet

duas

duas dimenſiones in longũ,& latum, locatũ verò tres habet in longum, latum, & profundum; nec ſufficit dicere, eſſe æqualem, cùm totam ſuperficiem locati contineat, quia non illa exterior ſuperficies eſt locata, ſed totum, quod intrà eſt, ſolutio autem ſoluit, quod ſit æqualis Locus ſoli exteriori ſuperficiei locati, non toti locato.

Quæres 2. Quotuplex ſit Locus. ℞. Duplex: circumſcriptiuus, & definitiuus. Circumſcriptiuus non eſt illa ſuperficies, (vt contrarij Authores dicunt) ſed ſpatium illa ſuperficiè circumſcriptum, hucuſque expoſitum,& conuenit ſic omni corporali Creaturæ. Definitiuus eſt certus ſpatij terminus, extra quem res ſe extendere nequit, & ſic ſpirituales creaturæ ſunt in Loco.

Quæres 3. An vltima ſphęra ſit in Loco ℞. In noſtra ſententia nullum eſt dubium, patet enim, quòd ſic, quia certum, & determinatum ſpatium occupant. Sed communiter hoc proponunt Autores, qui Locum eſſe ſuperficiem ſtatuunt,& tamen nulla poteſt dari ſuperficies ambiens ſphæram vltimam, ſed hoc dubium (vt dixi) iuxta noſtra principia nullum eſt.

Quæres 4. Quid ſit Vbicatio. ℞. Eſt *ratio formalis, iuxta quam res dicitur ibi, vbi eſt,* & ſecundùm hanc res dicitur intrinſecè moueri localiter.

Quæres 5. An idẽ corpus poſsit eſſe in pluribus Locis. ℞. De fide conſtat quòd ſic. Corpus enim Chriſti quotidie in multis diſtantibus Locis reperitur, cuius poſitiua ratio, licèt phyſicè aſsignari nequeat, cũ tamẽ nulla aſsi-

aſſignetur implicantia, manifeſtum eſt Deo negandum non eſſe: Sed maior eſt quæſtio, vtrum idem corpus poſſit ſimul eſſe in pluribus Locis circumſcriptiuè: negat S. Thomas Quodlibet. 1. q. 10. art. 22. ad primum cum ſuis, & paucis alijs, ſed placet oppoſitum cum Scoto, & ſuis, tùm quia nulla eſt implicantia, tùm quia de facto corpus Chriſti, quod in Euchariſtia eſt definitiuè, in alijs Locis viſum eſt circumſcriptiuè, & de facto ita eſt in Cœlo.

Dices, Si idem corpus poſſet eſſe in duobus Locis circumſcriptiuè, poſſet tunc eſſe in duobus Locis cõtiguis, de quo quæritur, vtrum tunc ſe tangeret, nec ne: Si prius ergo idem tangeret ſeipſum; ſi poſterius, ergo non eſſet contiguum, quod eſt contrà ſuppoſitum. ℞. Fore, vt ſe tangeret, nec hoc eſt abſurdum, quod idem ſecundùm diuerſam, & multiplicatam locationem ſe tangat.

Caput 2. De Vacuo.

QVæres 1. Quid ſit Vacuum. ℞. *Eſt ſpatium ſine corpore.*

Quæres 2. An dabile ſit vacuum in rerum natura. ℞. De Diuina potentia non eſt dubium; poteſt enim Deus omnem aerem hunc medium inter ſpheram Lunę, & terram deſtruere, nullo alio corpore ſupplente, deficientiam illius, & ecce Vacuum. Sed naturaliter, nec datur, nec dabile eſt: atq; hoc monſtrant tot experientiæ, quibus grauia ſurſum, leuia deorſum violentè trahuntur, ſic follis vndequaque occluſo ore,

ore, ne aer intret, impoſsibile eſt eleuare, ne detut Vacuum: ſic accepta fiſtula cuius extremitatem in aquis ponis, & ex alia parte aerem extrahis, vel exſugis, aquam ſurſum trahes, ne ſcil. locus relictus ab aere ſine corpore maneat, & mille alia contingãt. Cùm autèm nonnulli moderni, tàm ratione, tàm experientia hanc veritatem infringere conentur, libet vtrumque perpendere.

Ac primò Reuerendus quidam Valerianus Magnus Capuccinus paucis ab hinc annis ſcribit ſe hanc doctrinam ſequenti experientia coram Vladiſlao IV. Rege Poloniæ ſolidè infregiſſe. Accepit fiſtulam vitream, quam mercurio plenam, & ſuperiori orificio ſtrictè occluſo immerſit hydrię plenæ aqua ad dimidium ſuæ altitudinis, ocularíterque comperit Mercurium ſaltitaſſe, ſic, vt ex ſuperiori parte aliquod ſpatium modò relinqueret, modò iterum occuparet, & quærit quod corpus tunc cùm Mercurius deſcenderet locum occuparit: nullum penitùs, ſi enim corpus aderat, non oportebat Mercurium iterum ſurſum reſultare. ℞. Quamuis alij huic obiectioni, doctiſsimè etiam in hoc florentiſs. meo Archigymnaſio ſatisfecerint, placet tamen mihi alia ſequens ſolutio, & dico Mercurium, vtpotè corpus minerale, & metheorũ, vt infrà facilè in ſua elemẽta reſolui: mixtum quippe eſt imperfectum, & quò imperfectior eſt mixtionis vnio, eò facilior eſt elementorũ reſolutio; vndè dico in tali caſu Mercuriũ, vtpotè maximè terreum, & grauem parumque igneum, quicquid magis igneum in

in ipſo erat,&aereum,ſurſum miſiſſe, quidquid magis graue, & terreum, deorſum detraxiſſe, & ſic ignei ſpiritu, qui pauci in Mercurio ſunt ſupplentre locum, qui vacuus extitiſſe putatur, pro quo facit iſta reſultatio. quia ſcil. illi ſpiritus ſunt de natura Mercurij, & conſequenter naturaliter illos ad ſe contrahebat, & locum eorum occupabat.

Dices, ſi non daretur Vacuum, ſequeretur, quòd, cum vnum corpus mouetur, totus mũdus, vel ſaltem totus aer moueretur, quod eſt abſurdum, ſequela probatur, nàm dum moueor localiter, neceſſariò aer relictus retrò me debet ſpatium à me relictum occupare, & iterum alius locum ab illo proximo relictum, & ſic de reliquis, ergo. ℞. Negando ſequelam; aer enim, cùm ſit fluidus facilè, qui ante me erat, & cuius ego locum iam occupo, retrò me locum relictum occupat, nec ideò totus aer debet moueri.

Quæres 5. An dato Vacuo motus in eo fieri poſſet. ℞. Affirmatiuè, dum enim adhuc manet cauſa motus, nihil obſtat, quo minùs motus fiet, cur enim lapis non caderet deorſum, cùm adhuc ſit grauis?

Dices 1. Omnis motus ſublunarium dependet ab influxu Cœli: tunc autem Cœlum non influeret, quia non eſſet medium, per quod attingeret illum lapidem, ergo. ℞. Omnem motum ſublunarium non ſic immediatè ab influxu Cœleſti dependere, quin pro illo ſtatu poſſet cadere, ſicuti & ignis comburere ſtupam, ſed pẽdet mediatè, quia ſcil. hanc grauitatem antè à Cœlo accepit,

qua

qua iam habita independenter ab influxu Cœli poteſt cadere.

Dices 2. Ariſt. videtur contrarium contrà Antiquos varijs locis ſentire. R. Ariſtotelem hoc intelligere de Vacuo omninò negatiuo, ſic vt nullum corpus aliud, vel ſurſum, vel deorſum eſſet, tunc enim ille lapis non haberet, quò caderet magis huc, quàm illuc, ſed ſiſteret, vbi eſſet.

Quæres 4. An talis motus eſſet ſucceſſiuus. R. Affirmatiuè, dùm motus hoc aliàs ex ſua natura exigeret, propter diſtantiam v. g. à centro.

Dices Ariſt. Videtur contrarium ſentire. R. Ariſtotelem, dum dixit, quòd eſſet inſtantaneus, & non ſucceſſiuus, eſſe locutum ex ſuppoſitione ſententiæ Antiquorum, qui omnem ſucceſſionem motus ratione corporis intermedij ponebant, & cùm tunc nullum eſſet corpus medium, infert fore, vt motus ex ſententia eorum tunc deberet fieri in inſtanti.

Caput 3. De Tempore.

QVæres 1. Quid ſit Tempus. R. Sic definitur ab Ariſt. *Tempus eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius*; per *numerum* autem non intellige quantitatem diſcretam, ſed cõtinuam ſucceſſionem, vndè clarius ſic explicatur: Tempus eſt mẽſura motus ſecundùm ſucceſſionem, hoc eſt ſecundùm quòd vna pars ſequitur aliam.

Dices. Si Tempus ſit menſura motus, iam erunt tot Tempora, quot motus, & quidem

 ſimul,

Dies artificialis eſt *ſpatium, quo Sol moue-tur ſupra noſtrum horizontem.*

Hora eſt *ſpatium temporis, quo primum mo-bile mouetur ad* 15. *gradus*, quæ omnia, vt clarius intelligantur, inſpice infra tracta-tum de Sphæra.

Quæres 4. Quid ſit æternitas, & æuum. ℞. Alio modo ab Ariſt. alio modo à Theo-logis hæc ſumuntur, æternitas quippe ab Ariſtotele ſumitur pro duratione ſine termi-no; quòd ſi principium non habuit, dicitur à parte ante; quòd ſi finem non habeat, dici-tur à parte poſt; à Theologis autem longè aliter ſumitur, & ſic definitur ſecũdùm Boe-tium *interminabilis vitę tota ſimul, & per-fecta poſſeſsio*, & ſic ſoli Deo conuenit, de qua vide in Metaphyſica.

Æuum autem pro eodem ab Ariſtotele ſumitur, vt ait Picolomin. ſed à Theologis accipitur pro Angelorum duratione, & ſic definitur *indiuiſibilis creata duratio*. Vide infrà Metaph.

Tractatus Quintus

Supra aliquot particularia circa di-cta, quæ Ariſtoteles reliquis 4. libris tangit.

Caput 1. *De Motu grauium, leuium, & proiectorum, &c.*

QVæres 1. A quo moueantur grauia, & leuia. ℞. Senſus quæſiti eſt, cum di-

pis deorſum, quò diutius, eò ſemper intenſius, mouētur, vndè, ſi cadat lapis ex loco ſublimi, impetuosè reſilit, ſi ex humili, non item, cuius rei diuerſitas non alteri videtur attribuenda, quàm ex eo, quòd cū m magis motus protrahitur, eò magis intēditur; quęritur autem, cur hoc ita contingat. Ratio à Nonnullis adfertur propter vicinitatem ad locum naturalem, ſic lapis in fine velocius cadit, quia ad centrū magis accedit, ſed hæc ratio nulla eſt, tunc enim lapis, qui ex loco humili cadit, æquè velociter deberet moueri, cum æqualiter accedat ad centrum: hac igitur, & alijs aliorum opinionibus omiſſis. Dico id, ideò accidere, quia motus quò manet diutius, in vigore (vt quælibet alia res, niſi impediatur) ſeipſum perficit; ſic calor, ſi diutius in vigore perſeueret poterit cauſare alium gradum caloris, & ſeipſum perficere.

Quæres 4. Cur motus violentus ſit velociſſimus in medio. ℞. Iterum dubitandum non eſt, quin motus violentus in medio ſit velocior, quàm in medio, vel fine, & in fine maximè debilis: patet in ſagitta, quam ſi ſurſum iaculeris, in principio velociter quidem moueri experieris, in medio autem vix oculus eius velocitatem aſſequetur, in fine antem, ita langueſcit, vt in aere pauliſper quiete reſidere videatur; Cuius rationem aſſigno de intenſione in medio eamdem, quam ſuprà, quia vſque tunc in vigore vlteriores ſibi gradus acquirebat ab ipſo motu, in fine autem languet propter reſiſtentiam formæ propriæ, quæ in principio, & medio ob vi-

Dices proijciens non poteſt per ſe ſolùm, cauſare riſilitionem, ergo non eſt cauſa totalis: conſequentia patet, antec. probatur, niſi enim concurreret corpus oppoſitum, non fieret reſilitio. ℞. Negando conſequentiam, quia cauſa totalis non compatitur cōcurſum alterius cauſæ; benè autem conditionis, ſine qua non, vt hic.

Caput 2. De primo Motore, & Creatione.

QVæres 1. An & quis ſit primus Motor. ℞. Primus Motor, & cauſa prima in idem coincidunt; dari autèm Phil. ſic probat; quia omne mouens, vel ſic mouet, vt & ipſum moueatur ab alio, vel non, ſi prius, oportet aſſignare aliud mouens, de quo idem quæram, & ſic iterum, donec deueniatur, vel ad mouens immotum, vel admittatur proceſſus infinitum.

Quæres 2. Quid ſit Creatio. ℞. Eſt *productio ex nihilo*, pro cuius intelligentia vide infrà tract. 7. c. 1. quæſit. 3.


Quæres 3. Quis poſſit creare. ℞. Creare ſic propriū eſt primi Motoris, vt nulli cauſæ ſecundæ poſſit communicari, quidquid Aliqui dicant, & ratio eſt, quia omne agēs creatum agit per contactum, vt infrà; Creatio autèm non fit per contactum, cum ex nihilo producat: ſecundò probatur argumēto Diui Thomæ 1. p. q.45. art.5. cauſare enim rei ſequitur eſſe rei, eſſe autem Creaturæ eſt eſſe per participationem, non ſimpliciter, & conſequenter, nec poteſt cauſare dando eſſe ſimpliciter, vt eſt in Creatione, ſed ſolùm

ſecundùm quid, ſcil. præſuppoſito ſubiecto.

Quæres 4. An Creatio ſit creatura. ℞. Ratio dubitandi eſt, quia nihil datur medium inter Creatorem, & Creaturam; cum ergo Creatio non ſit creator, apparet, quòd debeat eſſe creatura. Pro clara huius intelligentia ſcito Creationem aliam eſſe actiuam, & eſt actio Dei, non pura relatio, vt vult S. Thom. l.c. art. 3. & identificatur Naturæ Diuinæ, & identicè eſt idem, quod Creator; alia eſt paſſiua, & ſic eſt idem, quòd Creatura, nec enim motus diſtinguitur à termino, vt ſuprà, & conſequenter erit idem Creatio, quod terminus, qui eſt Creatura, vt patet manifeſtè.

Tractatus Sextus
In libros Ariſtotelis de Cœlo, & Mundo.

POLVS MVNDI ARCTICVS.



Polus Mundi Antarcticus.

SPHÆRA MVNDI.

Vtiliſsimè libris Ariſtotelis dé Cœlo, & Mundo Sphere cęleſtis expoſitio inſeritur, quia non parum ad eorum, quæ Ariſt. his libris tradit captum conſerunt, vnde ſit.

QVæres 1. Quid ſit Sphera. ℞. Eſt *ſuperficies circumſcripta à circumferentia ſemicirculi*, vel aliter, *cuius omnes partes æqualiter diſtant à centro*, ideſt interiori corporis parte.

Quæres 2. Quid ſit Axis. ℞. Eſt *linea recta ſupra quam Sphera circumuoluitur per centrum ſphæræ vſque ad extremitates tranſiens*, & dicitur per ſimilitudinem deſumptam ab axe redæ, vel currus, circà quem rotæ circumuoluuntur.

Quæres 3. Qui ſint Poli. ℞. Sunt *duo extrema puncta axis* & reſpectu Mundi ſunt borealis, & auſtralis.

Quæres 4. Quomodò Sphæra Cœleſtis diuidatur. ℞. Diuiditur ordinariò in nouem, ab Alijs in decē, ab Alijs in vndecim Sphæras; Prima dicitur Cœlum Lunæ, ſecunda Mercurij, tertia Veneris, quarta Solis, Quinta Martis, Sexta Iouis, Septima Saturni; & vſque nunc ſunt ſeptem planetarum Cœli, circa quorum diuiſionem nos propriam ſententiam infrà exponemus, nunc enim ſecundùm aliorum opinionem procedo, vt infrà veritas ſentētiæ noſtræ clarius manifeſtetur: dicitur autem octaua Sphæra Firmamentum, quod & Cœlum ſtellarum fixarum, quæ fixæ dicuntur, non quòd firmæ ſtent, ſed quia ſemper eamdem proportionem, & ſix onem firmiter ad inuicem ſeruant. Nona dicitur primum mobile, eò quòd in aliorum ſententia omnes alios Cœlos ſecum moueat: cùm enim omnes reliqui mo-

moueantur motu proprio ab occidente in orientem: hoc omnes in contrarium rapit ab oriente in occidentē. Decimum dicitur Cœlum trepidationis, cùm enim videantur ſydera, non ſolùm motu proprio ab occidente in orientem, & motu raptus ab oriente in occidentem moueri, ſed præterea ab vno polo ad alterum, modò huc, modò illuc trepidando declinare, motum hunc, quem trepidationis dicunt, Sphæræ decimæ attribuunt: vndecimum autem nos fides docet, & eſt Cœlum Empyreum ſedes Beatorum: hæc dicta ſint iuxta communem ſententiam, propriam autem nos infra exponemus.

Quæres 5. Qui, & quot ſint circuli Sphæræ Cœleſtis. R. Decem, quorum ſex maiores, quatuor minores ſtatuuntur. Maiores ſunt, *quæ Sphæram diuidunt in duas partes æquales*: ſunt autem Æquinoctialis, Zodiacus, Meridianus, Horizon, & duo Coluri: minores *diuidunt ſphæram in partes inæquales*: ſunt autem duo tropici, & duo circuli polares.

Quæres 6. Quis ſit Circulis Æquinoctialis. R. Eſt *circulus maior diſtans æqualiter ex omni parte à Mundi polis*, ſcil. per nonaginta gradus; pro quo ſcito totam Sphæram, & omnes circulos diuidi in gradus trecentos ſexaginta, ſcil. vt per gradum nihil aliud intelligamus, quàm partem trecenteſſimam ſexageſimam Spheræ; diſtat autem, (vt dixi) à Mundi pol s æquinoctialis vndequaque nonaginta gradibus.

Quæres 7. Quis ſit Zodiacus. R. Eſt *cir-*

culus maior obliquus declinans ex vna parte versùs polum auſtralem ad gradus 23. min. 27., & ex alia tantumdem ad polum borealem referens duodecim ſigna, quæ Sol ſingulis annis; & reliqui Planetæ ſuo tempore, motu proprio peragrant, ſunt autem ſigna Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces: ex his ſignis ſortitur nomen Zodiaci, ideſt ſigniferi; dixi autem deſignare motum Planetarum, cùm omnes ſub illo moueantur; vndè cum omnes reliqui circuli ſine latitudine ſtatuantur, hic tamen latus ponitur ad 12. grad., & ab alijs ad 16. quinimò vltimò cōpertum eſt Planetas ad 10. ferè grad. ab eclyptica declinare, & ab his ſtatuitur latus ad grad. 20. Eſt autem eclyptica Linea indiuiſibilis in medio Zodiaci, & propriè motum Solis continet, reliqui enim Planetæ extra illam per totam latitudinem Zodiaci vagantur; dicitur autē eclyptica, eò quòd numquam contingat eclypſis, niſi Luna ſub hac linea reperiatur, de quo ſuprà. Dixi prætereà, hūc circulum obliquū eſſe, in duobus enim punctis, ſcil. in primo pū-cto primi gradus Arietis, & Libræ interſecat Æquinoctialē, at in primo pūcto primi gradus Cācri, & Capricorni ab ęquinoctiali verſus polos maximè declinat, vndè dies maiores, & minores in diuerſis Mūdi partibus cō-tingunt.

Quæres 8: Quid ſit meridianus. R. Eſt *circulus maior tranſiens per polos Mundi, & Zenith, & Nadir* pro cuius captu ſciendum quid ſit Nadir, & Zenith; eſt autem Zenith pun-

punctum in Cęlo correſpōdens directè ſuper caput cuiuſque. Nadir eſt punctū in oppoſita Cęli parte priori directè oppoſitū: vndè quot ſunt homines, tot ſunt Nadir, & Zenith, & meridiani, imò quot ſunt puncta & arenæ in terra; dicitur autem hic circulus Meridianus, eò quòd Sol illum circulum tranſiēs ſtatuit meridiem illi, cuius eſt Meridianus.

Quæres 9. Quid ſit Horizon. ℞. *Eſt Circulus maior diuidens totum hæmiſphęrium ſuperius, ideſt mediam ſphæram ab inferiori*, quod vt clarius intelligas nota, quòd oculus ſemper habet videre medietatem Sphæræ ſibi obiectæ, cùm igitur Cœlum ſit ſphæricum, fit, vt ſemper eius medietas videatur; vbi autem viſio terminatur, dicitur eſſe Horizon, diſtatq; ęqualiter ex omni parte à nadir, & zenith, eius, cuius eſt Horizon. Alius autē dicitur rectus, alius obliquus. Rectus eſt eorum, qui ſub Æquinoctiali habitant, eò quòd totum Cœlum ſpatio 24. Horarum videant; cùm enim Cęlū voluatur ſuper axim, cuius extremitates ſunt mundi poli, & ipſi ambos polos aſpiciant, vident determinato ſpatio, quidquid ſuper axim voluitur: obliquus verò contingit habitantibus extra Æquinoctialem, quibus lateraliter Cœlum voluitur & obliquè, & certa mundo pars eis numquam apparet, vt nobis, qui numquam polum antarcticum aſpicimus, & his dicitur vnus polus eleuari ſupra Horizontem; quantùm enim ab æqui noctiali recedimus, tantam ad vnum polum accedimus, & noſter Horizon ſub illo deprimitur.

Quæres 10. Qui ſint Coluri. ℞. *Sunt duo circuli*

circuli maiores ambo per mundi polos deducti, quorum alter tranſit primum punctum Arietis, & Libræ, & dicitur Colurus æquinoctiorum, quia dum Sol hunc tangit eſt æquinoctium per totum ferè mundum: *alter tranſit per primum punctum Cancri, & Capricorni*, & dicitur Colurus ſolſtitiorum, quia dum Sol hunc attingit contingunt ſolſtitia, de quibus infrà.

Quæres 11. Qui ſint Tropici. ℞. Abſolutis circulis maioribus reſtant minores: ſunt ergo Tropici, *duo circuli minores poſiti ex vtroque latere æquinoctialis ad diſtantiam; quanta eſt maxima obliquitas Zodiaci, ſcil.* grad. 23. & min. 27. in primo puncto Cancer, & Capricornus, vndè alter dicitur Tropicus Cācri, & hunc Sol deſcribit in noſtro ſolſtitio æſtiuo: Alter dicitur Capricorni, & hunc Sol deſcribit in ſolſtitio hiberno.

Quæres 12. Qui ſint circuli polares. ℞. Sunt *duo circuli minores æqualiter diſtantes à mundi polis tantùm quantùm polus zodiaci à mundi polis*, ſcil. per grad. 23. & min. 27. alter dicitur arcticus, qui eſt ſitus ad ſeptemtrionem: Alter antarticus ſitus versùs meridiem, quorum munus eſt diſtinguere zonas.

Quæres 13. Qui dicantur circuli Paralelli. ℞. Sunt *circuli minores æqualiter diſtantes ex omni parte ab æquinoctiali*, ſub quibus ſunt & Tropici, & polares, & alij propemodùm infiniti, hi à Geographis ſunt ficti ad conuertendos gradus circulorum minorum in gradus æquinoctialis, quæ non ſunt huius loci.

Quæ-

Quæres 14. Quæ & vndè ſint Æquinoctia. ℞. Æquinoctium eſt *æquatio diei, & noctis*, quod ſemper contingit ſitis ſub Æquinoctiali, nobis verò, & toti propemodùm mundo circa diem 21. Martij; & Septembris, cum Sol in primo puncto Arietis, & Libræ tranſit Æquinoctialem.

Quæres 15. Quæ ſint Solſtitia. ℞ Sunt *ſtationes Solis*, quæ cõtingunt in primo Cãcri, & Capricorni, non quòd Sol verè ſtet, ſed quia tunc tantùm receſſit ab Æquinoctiali, vt vltrà non poſſit recedere, & iterum ad ipſum redeat, vndè in vno nobis eſt longiſſimus dies, ſcil. in ſolſtitio æſtiuo in primo puncto Cancri, quia tunc Sol maximè ad nos acceſſit, in altero, breuiſſimus, quia tunc maximè à nobis recceſſit, quod fit circa 21. Iunij, & Decembris.

Ex dictis Collige primò, quomodo contingat eclypſis Solis, vel Lunæ; dicitur enim eclypſis Lunæ, quando Sol, & Luna ſunt in ſignis oppoſitis directè, in capite, & cauda Draconis: dicitur autem caput Draconis, illa pars cœli, vbi circulus Lunæ interſecat eclypticam; pro quo repete, quod dixi q. 7. Solem ſolùm reſtare in media parte Zodiaci, quæ dicitur eclyptica, reliquos verò planetas extra illã per totã latitudinẽ Zodiaci vagari, vndè fit, vt in varijs locis, ac circulis reliquorum planetarũ eclypicam interſecent, vbi autem circulus Lunæ interſecat eclypticã dicitur eſſe caput, & cauda Draconis, quo notato Eclypſis Lunæ eſt cũ Luna in ſigno oppoſito Soli eſt in capite, vel cauda Draconis, tunc enim ponitur terra

inter

inter Solem, & Lunā, & impedit radios Solares, ne ad Lunam pertingāt, & ſic Luna deficit à Lumine, & dicitur eclypſis Lunę; vndè ſic definitur *interpoſitio terræ inter corpus ſolare, & lunare*.

Eclypſis Solis eſt quādo Sol, & Luna ambo ſunt in Capite, vel Cauda Draconis, quia tūc ponitur corpus Lunare inter aſpectum noſtrum, & Solem, vndè nos luce Solis deſtituimur, & dicitur Sol nobis deficere, & eclypſim pati, vndè ſic definitur *interpoſitio Lunæ inter Solare corpus, & aſpectum noſtrum*.

Collige 2. Quid ſit Plenilunium, & Nouilunium. ℞. Dicitur Nouilunium, quando Luna eſt in eodem ſigno cum Sole; tunc Plenilunium, quando Luna eſt in oppoſito ſigno, & hoc ideò fit, quia cùm ſemper medietas Lunæ à Sole illuminetur, tunc illa pars, quæ illuminatur eſt nobis obiecta, & dicitur Luna nobis plena luce.

Collige 3. Cur numquam contingat Eclypſis Solis, niſi in Nouilunio, nec vmquā Eclypſis Lunæ, niſi in Plenilunio; quia ſcil. in Eclypſi Solis Sol, & Luna ſunt in eodem ſigno, & tunc (vt dixi) eſt Nouilunium in eclypſi verò Lunæ, Sol, & Luna ſunt in oppoſitis ſignis, & tunc eſt Plenilunium.

Collige 4. Miraculum illius Eclypſis, quæ accidit in morte Saluatoris, quam videns Dionyſius dicebat, *aut Deus naturę patitur, aut Mundi Machina diſſoluetur*; cùm enim eſſet Plenilunium facta eſt ęclypſis Solis.

Collige 5. Cur non ſingulis menſibus contingunt eclypſes, cùm Sol, & Luna ſint in

ijſdem,

iiſdem, vel oppoſitis ſignis, quia ſcil. hoc non ſit in capite, vel cauda Draconis.

Caput 2. De Mundo.

QVæres 1. Quid ſit Mundus. R. *Eſt tota omnium Creaturarum ſub vno Deo cõgeries dicentium habitudinem; & coordinationem ad inuicem.*

Quæres 2. Quomodo diſtinguatur Mundus. R. In Architypum, qui eſt Mens Diuina omnium creaturarum ideis (vt ita dicam) informata; Angelicum, qui eſt tota Angelorum vniuerſitas; Elementarem, quæ ſunt quatuor elementa; Cœleſtem, qui eſt Cœlorum multitudo; Microcoſmum, qui homines complectitur; & Macrocoſmum, qui eſt ſupra definita creaturarum congeries.

Quæres 3. An poſſint eſſe plures Mũdi ſpecie diſtincti. R. Affirmatiuè, nulla enim eſt implicantia, cur enim Deus nequeat Creaturas omnes alterius mundi aliarum ſpecierum producere? non tamen poteſt ſpecie diſtingui, quoad modum, & ſubordinationem; tales enim Creaturæ æquè, ac nunc inuicem deberent ſubordinari; cùm hoc ex natura habeatur, vt rationales irrationalibus præſint, & ſpirituales corporalibus, & nobiliores ignobilioribus.

Dices. Multiplicato definito multiplicantur definitiones, ſed impoſſibile eſt multiplicari definitiones Mundi; ergo & ipſos Mundos: min. probo, de illis enim Mundis valeret dicere, quòd eſſent congeries omniũ creat

rarum

turarum ſub vno Deo, ſed omnes creaturæ non poſſunt eſſe in vno Mundo; & omnes in alio; ergo non poſſunt multiplicari Mundi. ℞. Non omnes abſolutè creaturas conſtituere vnum Mundum, ſed illę tantùm, quę ad 'inuicem coordinantur, vt ex definitione patet; & ſic vnus Mundus non complectere-tur omnes abſolutè Creaturas, ſed coordinatas tantùm, & alius alias coordinatas.

Quæres 4. An poſſint eſſe plures Mundi ſolo numero differentes. ℞. Negat Philoſophus; ſed placet oppoſitum, nulla enim eſt implicantia, vt patebit ex ſolutione ſui fundamēti. Dices. In tali caſu fieret confuſio vtriuſque Mundi omnia enim grauia tenderent ad mūdum inferiorem, & leuia ad ſuperiorem, & ſic fieret vnus Mundus. ℞. Negando ſequelam; ad cuius rationem, dico tunc vnum Mūdum non fore ſuperiorem ad alterum; inferioritas enim dicitur per habitudinem ad proprium centrum, nec tunc vnum cētrum haberet coordinationem ad aliud.

Quæres 5. An mundus ſit creatus. ℞. Negat Ariſt. dicens eum fuiſſe ab æterno, de quo quæſito ſequenti; inter modernos autem id ipſum negat Morandus; quamuis enim concedat de fide eum eſſe à Deo productū, negat tamen eſſe creatum. Placet oppoſitum cum communi, & eſt conformius Scripturæ Geneſ. 1. *Creauit Deus Cælum, & Terram* pro claro huius captu.

Dices. Cum Morando hic in 1. de Cœlo quæſt. 3. ad hoc vt Mundus diceretur creatus, oporteret pleraſque eius partes eſſe creatas, hoc non, ergo &c. min. probatur plerę-
que

que enim creaturæ,non creatæ, ſed per formas ex ſinu materię eductas conſtitutæ ſunt. ℞. Negando min. ad cuius rationem nego aſſumptum ; pars enim immediatè creata longè ſuperat illam , cuius formæ ſunt eductæ ex materiæ ſinu , præter quàm quòd in earum reſolutione ſemper ad aliquod immediatè creatum deueniendum ſit.

Quæres 6. An Mundus per Deum potuerit eſſe ab æterno . ℞. De fide conſtat Mundum de facto,non ab æterno, ſed in tempore creatum eſſe : nunc quæritur de poſſibili, & dico negatiuè,tàm de Mundo,quàm de quauis creatura,& ſic probo . Non eſt imaginabile inſtans in æternitate, in quo poſſet dici talis creatura producta , ſed omnis creatura neceſſariò eſt producta , ergo eſt ; de illo enim inſtanti quæro , an ſit primum , vel non;ſi prius : contrà , in æternitate non datur primum inſtans, ſicut nec vltimum, ergo, &c.ſi poſterius,ergo alia inſtantia præceſsiſſent; ergo talis creatura non eſſet ab æterno: hic valdè ſe torquent oppoſiti Auctores, ſed valet dilemma in puncto contradictionis; nec valet dicere non eſſe tale inſtans durationis reſpectu æternitatis, quia determinata actio debet determinata duratione perfici ; nec enim creatio talis creaturæ duraret per totam æternitatem , ergo deberet determinato inſtāti fieri,quod tamen non eſt imaginabile . Reliqua argumenta omitto , quæ facilè opoſiti Auctores effugiunt .

Dices . Deus ab æterno fuit omnipotens, ergo potuit ab æterno creare . ℞. Defectum non ſe tenere ex parte Creatoris,ſed Creatu-

ræ,quæ neceſſariò præſupponit non eſſe.

Dices 2. Deus ab æterno cognouit Mundum; ergo potuit ipſum creare,quia tàm facilè eſt Deo creare,quàm intelligere. R. Vt ad primum.

Dices 3. Si Deus non poſſet creare Mundum ab æterno,ſequeretur debuiſſe expectare per integram æternitatem,quod eſt abſurdum;ſequela probatur, quia non per partem æternitatis,ſed per totam, quia æternitas eſt indiuiſibilis, & non habet partes. R. Hoc argumentum manifeſtè deſtruere ſeipſum, vel enim ſumitur æternitas pro indiuiſibili duratione, & in hac nemo dicitur expectare, cùm ſit tota ſimul, expectatio autem importat ſucceſſionem; vel ſumitur pro duratione qualibet ſine principio, quamuis ſucceſſiua,& tunc nihil probat.

Caput 3. De Cœlo.

QVæres 1. An Cœlum ſit Corpus ſimplex. R. Affirmant Aliqui,vti Philoponus,& Piccolomineus,communis tamen ſententia negat, & meritò, tale enim corpus non eſt dabile, quod ſic probo. Illud corpus eſſet ſubſtantia;vel ergo immaterialis,vel materialis, non prius, quia ſubſtantia immaterialis eſt ſpiritualis; ergo eſſet materialis, ergo includeret materiam, vnumquodque enim dicitur materiale à materia, ſed quod includit materiam ex natura ſua connotat formam; ergo omne corpus neceſſariò includit materiam, & formam, ergo corpus ſimplex non eſt dabile,

ergo

ergo Cœlum non eſt corpus ſimplex,ſed cōpoſitum ex materia,& forma.

Dices compoſitio ex materia, & forma nobis ſolùm innotuit per ſubſtantialem tranſmutationem, atqui hæc in Cœlis non datur; ergo nec ponenda eſt compoſitio ex materia,& forma. ℞. Negando maiorem eò ipsò enim,quò aliquid cognoſcitur eſſe corpus neceſſariò importatur compoſitio ex materia, & forma, vt oſtendi.

Quæres 2. An materia Cœli differat ſpecie à materia ſublunari. ℞. Communis ſētentia affirmat,nihilominus non deſunt, qui id negent, quibus ego puto adhærendum, tùm quia nulla eſt neceſſitas multiplicandi ſpecies materierum,vt patebit ex ſolutionibus obiectionum, tùm, quia aliqua magis differunt in ſublunaribus, quæ tamen materia conueniunt,quàm Cœli à ſublunaribus; ergo ſi in priori non multiplicamus ſpecies materiæ; à fortiori, nec in poſteriori.

Dices. Omne,quòd habet materiam ſublunarem eſt corruptibile,ſed Cœli non ſunt corruptibiles; ergo &c. maior probo, nàm materia eſt radix corruptionis, quòd autem habet radicē corruptionis eſt corruptibile. ℞. Negando mai. ad cuius prob. nego maiorem,vt infra oſtendam; nec enim corruptio prouenit ex materia, ſed ex formis, quia ſi formæ eſſent aptæ continuare compoſitum, nulla accideret corruptio, vndè enim fit,quòd Phęnix,Coruus, & Ceruus, & alia diuturnioris vitæ animalia diutius perſeuerent,quàm Formicæ, vel Vermes? An forſitan diuerſitas eſt in materia? non; ergo ſi

for-

forma det citius, vel ſerius corrumpi, etiam dabit ſimpliciter corrumpi potius, quàm materia.

Dices 2. Quæ materia conueniunt (inquit Stagirita) in ſe mutuò agunt, ſed Cœlum, & Sublunaria in ſe mutuò non agunt, ergo nec materia conueniunt. ℞. Explicando Ariſt. quæ enim materia conueniunt informata formis contrarijs, in ſe mutuò agunt, concedo; alias, nego, nam omnia ſublunaria cōueniūt in materia, nec tamen omnia in ſe agunt, ſed ſolùm contraria.

Dices 3. Oppoſitum apertè habetur ex Ariſt. 7. metaph. cap. 4. ℞. Ariſt. ibi nihil definiendo docuit, ſed ſolum diſputando dubitauit, quod patet ex ipſo contextu, vbi ait, *fortaſsis autem quædam non habent materiam, aut non talem* vbi per *Tò fortaſſe* innuit ſe nihil definiendo docuiſſe, ſed ſolùm dubitaſſe.

Quæres 5. An Cœli ſint ſolidi. ℞. Negatiuè, quidquid Alij ſentiant, ſed ſunt quid inſtar aquæ, & aeris, & ratio eſt, quia per hoc ſaluantur plurima in vno Cœlo, vbi aliàs illos multiplicare deberemus, vt infrà, & eſt conformius S. Scripturæ quæ Gen. 1. dicit, quòd Deus *ſeparauit aquas ab aquis*, propter quod Alij fingunt Cœlum criſtallinum, cuius tamen nullum effectum videmus, vndè multò ſolidius dicitur Cœlum ibi dici aquam propter fluiditatem, ad ſimilitudinem aquæ.

Quæres 4. Quot ſint Cœli. ℞. In multiplicatione Cœlorum ita Quidam exceſſere, vt non deſint, qui vltra ducentos ſtatuant; communiſſima tamen ferè omnium Senten-

tia.

tia, vel 9. vel 10. vel. 11. plùs minùs admittit, vt cap. 1. quæſt. 4. dixi. Ego verò cum quibuſdam modernis Philoſophis hæc omnia reijcienda puto, & ſolùm tres Cęlos admitto, qui ſunt Aethereum, Aereum, & Empyreum, vel duos potius, Aereum enim, non niſi vulgò Cęlum dicitur, Æthereum verò complectitur quidquid à Luna vſque ad Empyreum continetur. Empyreum verò ſedes eſt Beatorum, quam nos docet Fides, hoc autem placet, quia conformius eſt principijs Philoſophicis, SS. PP. & S. Scripturæ; Philoſophiæ quidem, quia hęc docet non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate, nulla autem eſt neceſſitas multiplicationis Cęlorum, vt patebit ex ſolutione argumentorum in contrarium: eſt conforme, (vt dixi) SS PP. eſt enim Chryſoſtomi, Ambroſii, Baſilij, Theodori, & Bonauenturæ, & Aliorum: eſt conforme Sacræ Scripturæ, nam D. Paulus 2. Cor. 12. raptus eſt ad tertium Cælum, quod ſine dubio eſt empyreum; quid enim Deus illum duxiſſet ad Cęlum Mercurij, vel Veneris? præterquã quòd ad literam dicat, quòd *raptus eſt ad Paradiſum*, vbi *audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui*.

Dices 1. Quomodò ergò ſaluatur motus raptus, & trepidationis, & tot diuerſi motus aſtrorum. R. Quoad motum raptus; illum abſolutè nego: de motu trepidationis non omnes conueniunt, ſed licet admittatur, illum ſaluabo in corpore Stellæ, vt & omnes alios motus, quod vt clarius intelligas ad ſingula, reſpondebo.

Ac

da, quæ eſt à primo puncto Arietis ad primum punctum Libræ, quàm in altera, quę eſt à primo puncto Libræ vſque ad primum Arietis, cùm ex eo, quòd regularis eſt, deberet æquale ſpatium æquali tempore conficere; reſpondent hoc ideò fieri, quia Sol, cùm ſit excẽtricus in prima medietate, plùs eleuatur, & prolungat ſpatium, quàm in ſecunda, ex quo ſic arguo: Si Cælum Solis moueatur cum Sole, dabitur penetratio corporum, & vacuum. Probo ſequelam, ponamus enim conuexum Cæli Solaris vndequaque contineri à concauo Cæli Martis, quandò pars magis eleuata, ſeu Aux ſic voluetur, vt attingat locum, vbi iam concluditur oppoſitum Augis, ſeu pars magis depreſſa, neceſſariò penetrant Cęlum Martis, & ex oppoſito latere ſpatium, quod replebatur gibboſitate Augis, relinquetur vacuum, vt patebit conſideranti, dicendum ergo, Cælum cũ ſtellis non moueri.

Quæres 6. Quomodo ergo ſtellæ hæreant in Cælo. R. ſicuti terra, & aqua in aere, tamquàm loco ſibi naturali.

Quæres 7. A quo moueantur ſtellæ. R. Communis ſententia eſt moueri ab Intelligentijs, ideſt Angelis, & ratio eſt, quia omnis motus, qui actiuè fit à natura tendit in aliquem terminum ſibi naturalem, & ſui perfectiuum, ſed nec Cæli motus eſt ad terminum, nec ad perfectionem Cęli, ergo &c. ſecundò videmus varios motus aſtrorum ſic, vt modò Mars infra Solem, modò ſupra videatur, cuius ratio non poſſet dari, niſi ab intellectiuo mouente dirigeretur.

I Dices

Quæ dicenda reſtabant de Elemẽtis in libros de Ortu, & Interitu transferemus.

Tractatus Septimus Super Libros Ariſtotelis De Generatione, & Corruptione.

Cap. 1. De Generatione, & Corrupt. ſubſtãtiali.

QVæres 1. Quid ſit Generatio ſubſtantialis. ℞. Eſt quando ſubiectum tranſit de vna forma ſubſtantiali ad aliam, vndè ſic definitur *mutatiò totius in totum, nullo ſenſibili remanẽte, vt ſubiecto eodem.* Colligitur ex Ariſt. in hoc primo t. 23. dicitur autem *Mutatio totius in totum*, ſcil. totius compoſiti in aliud totum compoſitum *nullo ſenſibili remanente*, quod explicant Thomiſtæ, ſic, vt detur reſolutio vſque ad materiam primam; ſed perperàm, quia tunc Ariſt. non addidiſſet *vt ſubiecto eodem*: de hoc autem infra; dari autem illam Generationem probatione non eget; quotidiè enim, vel ad ſenſum videmus lignum conuerti in ignem, & hominem in cadauer, &c.

Quæres 2. Quis ſit terminus Generationis, & quotuplex ℞. Quandoquidem Generatio eſt productio alicuius compoſiti, neceſſariò debet in aliquid terminari, ſcil. in id, quòd producitur, quod eſt forma & compoſitum: vndè diſtinguitur terminus Generationis in inadæquatum, & adæquatum. Inadæquatus eſt forma; adæquatus autem eſt compoſitum: forma autem dicitur terminus inadæquatus, quia præter formam aliquid pro-

Quæres 5. An Corruptio fiat per veram actionem. R. Negatiuè; cùm enim vera poſitiua actio terminetur in verum, & poſitiuum terminum, ſequeretur eius terminũ, ſcil. corruptionem debere eſſe quid poſitiuum, quod apertè falſum eſt.

Dices. Corruptio fit à contrario, contraria autem agũt poſitiuè, ergo &c. R. Corruptionem poſitiuè non fieri à contrario, ſed conſequenter ad formam contrariam formæ priori, cuius eſt ipſa Corruptio.

Quæres 6. An Corruptio habeat veras cauſas. R. Negatiuè, veræ enim cauſæ dicũt poſitiuum influxum; poſitiuus autem influxus dicit poſitiuum terminum, ergo cùm corruptio nihil ſit poſitiuum non poteſt poſitiuo influxu cauſari, & conſequenter non habet veras cauſas, niſi indirectè, quatenùs ad Generationem compoſiti præit Corruptio prioris.

Quæres 7. An Corruptio ſit naturalis. R. Aliquo modo poſſe dici naturalem; duo enim præſtat: primò, quòd dicat deſtructionem formæ, & ſic non eſt ſimpliciter naturalis, ſecundò, quòd tollat impedimentum ad aliam formam acquirendam, & ſic ſaltem in obliquo naturalis dici poteſt, & indè ſequitur, quid dicendum ſit ad vulgare quęſitum, an Corruptio à natura intendatur, priori enim modo negandum eſt, poſteriori concedendum.

Quæres 8. An Generatio vnius ſit Corruptio alterius. R. Putant non nulli hęc duo eſſe idem realiter, ſed errant, motus enim realiter connotat terminum ad quem; ſi

& non corrumpuntur vt in libris de anima probabo.

Quæres 11. An materia ſit radix corruptionis. ℞. Affirmatiua hæc etiam à Nonnullis inſtar maximæ habetur quod ſic explicant, cùm materia appetat formas, vt tract. 1. dixi, & formæ ſint ſæpè incompoſſibiles, hinc fit, vt ex appetitu innato, quem habet ad vnam formam præbeat occaſionem, vt expellatur altera, ſed longè aliter puto ſcil. quòd corruptio prouenit ex defectu formę, quæ in operatione defatigatur, & ex paſſione contrariorum tandem expellitur, nec enim materia appetit formam, niſi quatenùs ab illa perfectionem exiſtendi actualiter habet, ſine quà naturaliter nequiret exiſtere, V. quæ dixi ſupra tract. 6. c. 3. ad obiect. quæſt. 2.

Quæres 12. An in omni Generatione detur reſolutio vſque ad materiam primam. ℞. Senſus eſt, an verũ ſit dicere in inſtanti immediatè ſequenti Generationẽ, tũc nihil ſupereſſe eorũ, quę erãt ante Generationẽ, pręter ſolã mater. ã. primam: Affirmant Thomiſtæ dicentes, n quidem accidentia remanere, ita vt non ſit eadem figura hominis mortui, quæ erat viui. Alij communiter id negant, & rectè, cùm enim generatur ignis ex ligno, quæro vtrùm in iſtanti immediatè præcedenti Generationem fuerit calor in ligno, nec ne? fuit, vt ſuppono, debebat enim lignum per calorẽ diſponi ad formam ignis: de hoc iterùm quæro, an remanſerit poſt Generationem, nec ne? Si ſic, habetur intentum, ſi non: Contrà nullum enim aſſignabile eſt agens.

dum; inſtantanea eſt, quæ fit in inſtanti, & contingit in non habentibus contrarium, vt eadem illuminatio aeris, ſucceſſiua, quæ fit ſucceſſiuè, vt fit in habentibus contrarium.

Quæres 3. An Alteratio ſucceſſiua ſit continua. ℞. Dupliciter hæc quæſtio poteſt intelligi, aut de continuatione extenſiua, ſeù partis extra partem; permanenter ratione ſubiecti, aut de continuatione intenſiua ex parte formæ; & ſucceſſiuè, vt ſcil. continuò, ſine interſtitio alteretur ſubiectum. Negant Aliqui de vtroque modo, Alij de vtroque affirmant, Alij demùm de extẽſione negãt, & de intenſione concedunt. Ego veriorem puto opinionem de vtroque affirmantem, & primò probatur autoritate Ariſt. 5. Phyſ. t. 39. vbi dicit omnem motum propriè dictum eſſe continuum. Secundò Contraria iuxta ſe poſita neceſſariò agunt, atqui dùm vnus V. G. gradus caloris producitur, reſtant ſeptem frigoris, ergo continuò agent, ergo continuò alterabunt, quæ probationes de vtraque probant continuatione, tàm intenſiua, quàm extenſiua.

Dices Ariſt. 8. Phyſ. t. 23. ait *dicere alterari continuè eſt perſpicuis admodũ aduerſari.* ℞. Ariſtotelem hoc dixiſſe contra Heraclitum, qui volebat, res ſemper alterari, & hoc ſenſu negauit Stagirita *continuò* id eſt *ſemper* alterari, non *continuà*, vt nos ſumimus ſecũdùm gradùs, vel partes continuatas.

Quæres 4. An Alteratio intendatur per deperditionem priorum graduum, & per nouam adæquatam acquiſitionem vnius intenſioris. ℞. Senſus eſt, an calor V G. vtſ.

voluit Durandus, & Alij, dum intenditur à quarto gradu ad quintum, fiat hoc per perditionem priorum quatuor graduum, & nouam acquiſitionem poſteriorum quinque, & dico negatiuè: non enim datur agens, quod corrumpat illos priores gradus, ergo fruſtra aſſeritur; ſimile enim non corrumpit ſimile.

Dices. In tali caſu terminus à quo eſt calor ad quatuor, terminus ad quem eſt calor ad quinque, ſed adueniente termino ad quem corrumpitur terminus à quo; ergo. ℞. Calorem ad quatuor formaliter eſſe terminum à quo, & ſic corrumpitur, non autem materialiter: patet in exemplo, dum ex numero ternario fit quaternarius, terminus à quo eſt ternarius, ad quem quaternarius, & tamen ternarius materialiter non deſtruitur, licet formaliter in ratione ternarij deperdatur.

Quæres 5. An qualitas intendatur per maiorem irradicationem in ſubiecto. ℞. Affirmant Thomiſtæ, ſenſus autem eſt, an V. G. calor maior dicatur eſſe in manu, vel minor ſecundùm quòd illi inhæret firmiùs, & irradicatur. Ad quod dico negatiuè: fieri enim poteſt, vt qualitas minùs intenſa firmiùs ſubiecto ſit irradicata, quàm alia magis intenſa; ponatur enim frigus ad ſex in aqua A, & calor ad ſeptem in aqua B; in tali caſu frigus ad ſex, licèt ſit minus intenſum, eſt tamen magis irradicatum, quàm calor ad ſeptem; ſecundò in Euchariſtia datur intenſio albedinis ſine irradicatione ergo &c.

Quæres 6. An intenſio fiat per additionē

nouæ

nouæ qualitatis ad præcedentem. R. Affirmant Scotus, & Alij, quibus adhæreo, & probatur, & explicatur ſimul. Quæro enim dum in aqua calor intenditur ab igne, an poſt primum gradum producatur aliquid in aqua ab igne? manifeſtum eſt, quòd ſic: quæro ergo an hoc ſit calor, nec ne? ſi priùs, habetur intentum; ſi poſterius, aſſignetur quid ſit.

Dices. Duo accidentia ſolo numero differentia nequeunt eſſe in eodem ſubiecto, ſed hoc contingeret, ſi per acquiſitionem nouæ qualitatis, & non maioris irradicationis fieret intenſio: ergò &c. R. Negando minorem, nàm ex illis duobus gradibus fit vna qualitas, ſicut ex duabus quantitatibus partialibus fit vna quantitas.

Quæres 7. An intenſio fiat per gradus homogeneos. R. Partes homogeneæ vulgò dicuntur, quæ ſunt eiuſdem rationis, & habent eamdem definitionem, vt duæ guttæ aquæ: heterogeneæ ſunt, quæ definitione differunt, vt caro, & os reſpectu animalis: homogeneum autem hìc ſumitur alia ratione; & punctum difficultatis eſt, an gradus poſteriores ſint perfectiores prioribus, & ab illis ex natura ſua preſupponantur, affirmat Suarez; negat Scotus, & Alij, & rectè, quamuis Alij diſtinguant de qualitatibus habentibus, & non habentibus contrarium: dico ergo omnes qualitates intendi per gradus homogeneos, & ratio eſt, quia fundamentum contrariorum nititur falſæ opinioni, quòd ſcil. poſteriores gradus ſupponant priores, quod tamen ſic improbo: apponatur

I 6. tur

tur calidum ad octo ad lignum, & tunc Deus auferat duos priores gradus, adhuc reliqui gradus efficient intenſionem, licet remittatur calor ad ſex, ergo promiſcuè tranſeunt poſteriores gradus in priores; ergo ſunt eiuſdem rationis.

Dices. Non poteſt introduci ſecundus gradus in ſubiectum, niſi præſuppoſito primo; ergo. ℞. Vt dixi in tali caſu promiſcuè ſecundum gradum fieri primum.

Caput 3. De Actione, & Paſſione.

QVæres 1. Quid ſit Actio, & Paſſio. ℞. Actio hic ſtrictè ſumitur ab Ariſt. pro ea, quà aliquid alteratur; aliàs autem vulgò accipitur pro effectione qualibet, cui correſpondet paſſio, & eſt terminatio talis actionis, vt V. G. calefactio, vt egrediens ex igne dicitur Actio, vt terminatur in ſubiecto calefacto dicitur Paſſio.

Quæres 2. Quomodò ordinariò intelligatur omne agens agit per contactum. ℞. Contactus duplex eſt, alius entitatiuus, quo vnum ens ſecundùm ſe tangit alterum, alius virtualis, qui conſiſtit in eo, quòd aliqua virtus agentis in aliud terminetur, vt eſt in Sole, qui, licèt entitatiuè non tangat hæc ſublunaria, tamen virtus illius in hæc ſublunaria terminatur: modò dico, quòd agens non entitatiuè debet contingere paſſum, ſed tantùm virtualiter, vt patet in exemplo allato de Sole, & ratio eſt, quia nihil poteſt intrinſecè operari, niſi ſecundùm quod adeſt intrinſecè. Vlterius deduco, quòd, dum

agens

agens abeſt entitatiuè à paſſo, debet etiam agere in medium, quia nulla virtus poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi per medium.

Dices. Sæpè medium non eſt receptiuum illarum actionum, vti Cœlum quod eſt inter Nos,& Solem non eſt capax caloris: ergo &c. ℞. Cœlum non eſſe capax caloris formaliter,ſed benè virtutis calefactiuæ,ſicuti,nec ipſe Sol eſt capax caloris;ſed ſolùm qualitatis cauſantis calorem, quæ, dum in ſubiecto calefactibili recipitur, ſuum effectum producit.

Quæres 3. Quomodò Actio, & Paſſio diſtinguuntur. ℞. Ardua eſt quæſtio, Varij enim variè ſentiunt. Puto ego diſtingui realiter,& ratio eſt, quia ſunt in diuerſis ſubiectis,ergo realiter diſtinguuntur: antecedens patet; ſequela probatur, nec enim poteſt idem realiter in diuerſis ſubiectis naturaliter replicari. Et eſt Ariſt. 3. phyſ. t.20. pro quo intelligendo.

Dices. Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſed Actio,& Paſſio, puta calefactiua, ſunt idem realiter vni tertio,ſcil. motui calefactionis, ergo ſunt idem realiter inter ſe. ℞. Ex verbis Ariſt. l. c. dicentis *neque vnum duobus quidquam prohibet eumdem eſſe,non vt idem, vt veſtis,& indumentum,ſed vt eſt id quod potentiâ eſt, ad id, quod eſt actu*,cuius sẽſus eſt *non prohibet idem*, ſcil. motum *eſſe eumdem duobus* ſcil. Actioni, & Paſſioni, *non vt idem* ſcil. dummodò non ſecundùm eamdem rationem, *vt eſt veſtis, & indumentum, ſed vt eſt id, quod potentia eſt,*

ſcil.

ſcil. potens moueri, *ad id, quod eſt actu*, ſcil. quod actu mouet, & proſequitur textus clariſſimè ad propoſitum.

Quæres 4. An ſimile agat in ſimile. R. Simile, vel eſt quoad formam tantùm, vt aer calidus, & ignis calidus, vel quoad formam & intenſionem ſimul, vt duo ignes calidi, vtrumque, vel reduplicatiuè, vt tale conſideratur, vel ſimpliciter pro ſubſtrato, vt e. g. ignis, & aqua bulliens in ordine ad calorem, vel abſolutè; dico igitur nullum ſimile poſſe agere in ſimile reduplicatiuè, quia cùm actio ſit ad introductionem formæ non habitæ, ſupponit ſubiectum forma priuatum, at abſolutè poſſunt; ſic enim aqua calida, & ignis poſſunt ſe mutuò deſtruere per humiditatem, & ſiccitatem.

Dices. Calidum ad 8. poteſt agere in calidum ad quatuor, ergo ſimile agit in ſimile, quà tale. R. In calido ad quatuor ſupereſſe frigus ad quatuor, vndè in tali caſu calidum ad octo non agit in calidum ad quatuor, quà tale, ſed quà habet in ſe alios gradus frigoris.

Quæres 5. An idem agat in ſeipſum. R. Hoc iterùm intelligitur, vel de eodem materialiter, vel formaliter, & reduplicatiuè. Dico ergò aliquando fieri poſſe, vt idem agat in ſeipſum materialiter, vti dum aqua ſe reducit ad priſtinum frigus agit in ſeipſam, non verò formaliter; ſi enim ſimile nequeat agere in ſimile formaliter, multò minùs poterit idem in ſeipſum.

Quæres 6. Quæ ſit Actio reflexa. R. Eſt, cùm, vel *ob reſiſtentiam*, vel *aliam virtutem paſſi, repercutitur Actio ad ſuum principium*, vti.

vti cùm radij luminoſi reflectuntur ex ſpeculo ad medium luminoſum.

Quæres 7. An Actio reflexa accidat in habentibus contrarium. R. Negat Areſius, ſed perperàm; nec enim dum radij Solares reflectũtur ſolùm reflectitur lumen, ſed etiam calor, vndè ſæpè comburit ea in medio, quæ per actionem directam non comburerentur.

Dices. Talis actio reflexiua deberet ſentiri ſimul cum reflexione luminis. R. Hoc apertè fieri, licèt non ita confeſtim ob reſiſtentiam contrarij in medio.

Quæres 8. An idem agat in ſeipſum Actione reflexa. R. Negatiuè, quod ſic probo. Si actio reflexiua ageret in ſuum principium, deberet principium ab illa immutari; hoc non, ergo &c. mai. ſupponitur, min. probatur. Vnum quodque immutatur ab eo, quod non habet, ſecùs contingit in agente iſto, quia in ſe continet omnem actiuitatem illius actionis, quæ ab ipſo egreditur; ergo non poteſt ab ipſo immutari. Exemplum ſit in Sole, neque enim Sol illuminatur à reflexione radiorum, ſed aer medius, hoc intellige, niſi deſit medium, tunc enim qualitas in ipſo principio intenditur, vt infra quæſt. 12.

Quæres 9. A quo producatur iſta Actio. R. Senſus eſt, vtrùm à ſolo agente primo, puta Sole in caſu allegato, an etiam à ſpeculo reflectente, & dico, quòd à Sole tantùm, nam in tantùm reflectitur lumen in quãtùm aliàs radij extenſi fuiſſent, ſed poſteriùs prouenit à Sole tantùm, ergo & priùs.

Dices. Si ſolùs Sol eſſet cauſa reflexionis, fieret reflexio à quocunque obiecto opaco,

quod

quod tamen non ita verificatur, vt in ſpeculo: ſequela probatur, nàm in tantùm reflectitur lumen, in quãtùm aliàs radij extenſi fuiſſent, ergò à quocumque obiecto opaco, vbi franguntur radij deberet fieri reflexio. R. Negãdo ſequelam. Ad probationem dico quòd non quæuis fractio radiorum ſufficiat ad reflexionem, ſed requirit obiectum diſpoſitum, quod ſe habet, vt conditio ſine qua non, vide ſupra tract. 5. cap. 1. quæſt. vlt. vbi ſimile dixi de repercuſſione.

Quæres 10. Quid ſit Actio per Antiperiſtaſim. R. Eſt *Actio, quo qualitas aliqua ratione contrarij ambientis intenditur*, vt æſtate frigus aquæ putealis ratione calidi ambientis, & eiuſmodi.

Quæres 11. Quæ ſit cauſa huius actionis. R. Quæſtio eſt, an ſit contrarium ambiens, an verò qualitas obſeſſa, ad quod dico, eſſe ipſam qualitatem obſeſſam, quod ſic probo, & explico: intenſio enim eſt perfectio qualitatis, ſed perfectio non cauſatur à contrario, ergo &c. fit autèm hoc modo, cùm qualitas contraria ambiens, agit in obſeſſam: fit, vt obſeſſa ad ſui conſeruationem ſe recolligat, & intendat, & ſic patet, quòd non qualitas ambiens, ſed obſeſſa immediatè cauſet hanc actionem.

Dices. Qualitas ambiens eſt cauſa, cur obſeſſa recolligat ſuas vires; ergo eſt cauſa illius intenſionis. R. Diſtinguo conſequens, ergo eſt cauſa illius Actionis indirectè concedo; directè, & immediatè nego.

Dices 2. Ex dictis ſequitur, quòd idem formaliter agat in ſeipſum, quod tamen ſuprà nega-

negauimus quæſt.5. ℞. Idem agit in ſeipſum Actione deſtructiuà, nego; conſeruatiuà cōcedo, nec hoc ſuprà negaui.

Quæres 12. An Actio per Antiperiſtaſim ſit reflexiua. ℞. Affirmatiuè, quidquid Alij dicant, vndè enim fit, quòd qualitas obſeſſa recolligat ſuas vires, niſi quia, dum agere in contrarium iuxtà naturam nititur, virtus à qualitate obſidente repercutitur, & ecce Actio reflexiua.

Dices. Ex dictis ſequitur, quòd aliquod Actione reflexiua agat in ſeipſum quod ſuprà quæſt.8. negauimus. ℞. Hoc fieri poſſe, dum deeſt medium, quod à qualitate repercuſſa informetur, vt ibidem dixi.

Quæres 13. Quid ſit Reactio, & inter quæ fiat. ℞. Reactio eſt, cùm patiens ad ſui conſeruationem reagit in agens, & fit Solùm in habentibus contrarium, quod ſic probo, & explico: Quando in aquam procedit Actio calefactiua, non tota ſimul deſtruitur aqua, ſed ſucceſſiuè; atqui, ſi non reageret, tota ſimul deſtrueretur, ergo &c. mai. eſt certa, min. probatur; nàm in tantùm non deſtruitur totum, in quantùm adhuc excludit contrariū, atqui id fit per reactionem, ergo &c.

Dices. Hinc ſequitur, quòd Nulla ſit diſtinctio inter agens, & Patiens, nam vtrumque Aget, & Patietur. ℞. Negando ſequelam, illud enim dicitur ſimpliciter Agens, quod ſuperat, & è conuersò Patiens, quod ſuperatur.

Dices 2. Si daretur reactio idem ſæpè moueretur motibus contrarijs, vt ſi ignis ponatur ad aliquantulam diſtantiam ab aqua,

ad

& ſæpè mutatur.

Dices 2. Contrarium videtur colligi ex Ariſt. 4. Phyſ. t. 84. ℞. Negando aſſumptum, ait enim his verbis *magnitudo, & paruitas ſenſibilis molis, non inſuper accipiente aliquid materiâ extenditur, ſed quia potentia eſt materiæ vtriuſque*; ex hoc enim ſolùm conuincitur, quòd materiæ nihil accedit per extenſionem, vel condenſationem, *quia potentia eſt vtriuſque*, & ſine materiæ additione fit rarum & denſum vndè ſubiungit; *quare eſt idem denſum, & rarum, & vna materia ipſorum eſt.*

Quæres 16. Quomodo ergò fiat condenſatio, & rarefactio ſine vacuo, & partium penetratione. ℞. Hæc difficultas valdè vrget Auctores oppoſitos, qui dicunt vtrobiquè remanere eamdem quantitatem: Nobis autem euadit facilis, ex eo, quòd penetratio partium impediatur per quantitatem; cùm autem nunc partes extenduntur non indigent inuicem penetrare, vel relinquere vacuum, ſed inuicem continuatim mutata quantitate cedunt.

Caput 4. De Elementis, & Primis Qualitatibus.

QVæres 1. Quid ſit Elementum. ℞. Cum Ariſt. 3. de Cœlo t. 31. *Eſt Elementum iſtud corporum in quod alia diuiduntur.* Senſus eſt; Elementum eſt corpus ſimplex, quod alia mixta componit, & ſi reſoluuntur, in hoc diuidentur: vbi per ly *corpus ſimplex* non intelligas, vt ſuprà tr. 6. c. 3. q. 1. quaſi, quòd non ſit compoſitum ex materia,

teria, & formâ, ſed ſic vt non ex alijs corporibus commixtum.

Quæres 2. Quot ſint Elementa. ℟. Secũdùm communem ſententiam quatuor eſſe, ſcil. Terram, Aquam, Ignem, & Aerem; rationes autèm hunc Elementorum numerum probantes multæ afferũtur: ego breuiter hìc efficaciſſimam adducam. Tot ſunt Elementa, quot ſunt poſſibiles mixtiones primarum qualitatum in corpore ſimplici, ſed hæ ſunt quatuor, ergo &c. Maior ſupponitur; min. probatur, nàm, vel miſcetur humidum cum calido, & ecce Aer; vel humidum cum frigido, & ecce Aqua; vel ſiccum cum calido, & ecce Ignis; vel ſiccum cum frigido, & ecce Terra: nec vlla alia ratio mixtionis eſt imaginabilis in corpore ſimplici, vt patebit cõſideranti.

Quæres 3. Quæ ſint Primæ Qualitates. ℟. Notandum eſt hìc non inquiri primas in omni genere, ſed maximè actiuas pertinentes ad ſenſum tactus, & aſſignantur communiter iſtæ quatuor: Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas, quia iſtæ in quolibet mixto reperiuntur, & binæ correſpondent ſingulis Elementis, ordine ſupra allato; puto autem ambas in ſingulis reperiri in gradu intenſiſſimo; ſi enim ſolùm vna reperiretur in gradu intenſo, & alia in gradu remiſſo, iam erunt qualitates contrariæ mixtæ in eodem elemento, e. g. ſi ignis ſit calidus ad octo, & ſiccus ad ſex, iam erunt duo gradus hnmiditatis in igne, nàm ſiccitas non remittitur, niſi per præſentiam humiditatis. Quidquid ſit, parùm refert.

Quæ-

Quæres 4. Quid ſit Calor. ℞. Cum Ariſt. hoc 2. t. 8. *Eſſe qualitatem, quæ habet congregare homogenea, & ſegregare, heterogenea*, quæ deſcriptio intelligenda non eſt, quaſi id ſemper præſtet, ſed vt plurimùm, & quantùm eſt ex ſe, nàm calor ſæpè liquefacit metalla, ceram &c. nec etiam purè de heterogeneis, & homogeneis, ſed de eis, quæ facilè conueniunt, & diſconueniunt; ſic thus, & pix facilè calore coeunt, quia ineſſe ſecũdum plurima conueniunt.

Quæres 5. Quid ſit Frigus. ℞. Cum Ariſt. ibidem *Eſſe qualitatem, quæ habet omnia congregare*, quod limita, vt ſuprà; quòd ſi rationem huius à priori quæras; eſt, quia, cùm Frigus rerum naturæ, & generationi minùs conueniat, fit, vt ea, quæ Frigus contingit, ad ſui conſeruationem ſe recolligant.

Quæres 6. Quid ſit Humiditas. ℞. *Eſſe qualitatem, quæ reddit ſubiectum facilè terminatiuum termino alieno, & facilè perditiuum eiuſdem*; ſic Aer, & Aqua facilè ſe conformãt cuicumque figuræ, ſed ablato terminante ſtatim, & figuram amittunt.

Quæres 7. Quid ſit Siccitas. ℞. *Eſt qualitas, quæ reddit è contrà ſubiectum difficulter terminatiuum termino alieno, & poſt adeptionem illius difficilè perditiuum*; ſic cùm ligno ob ſiccitatem difficulter figura imprimatur, cum tamen figuram adeptum eſt, difficulter quoque eam amittit.

Quæres 8. An illæ Qualitates ſint formæ elemẽtorum. ℞. Affirmant Nonnulli, ſed perperàm: nec enim accidens eſt forma dans eſſe ſubſtantiæ: ſecũdò Phil. hic dicit ignem

non

non agere, quà ignis eſt, ſed quà calidus eſt, ergo ignis non eſt ignis ſubſtantialiter, quà calidus eſt.

Quæres 9. An, & quomodo Elementa mutuò tranſmutentur. R. Difficultas eſt, an quodlibet Elementum in quodlibet poſſit immediatè tranſmutari, vt putant Nonnulli; vti Picolomin. lib 2. de Elem. cap. 15. ſed perperam, vt experientia, & ratione conuincitur; nàm, ſi terræ Elementum poſſet immediatè mutari in aquam, vndè fit, quòd, ſi arena vna mittatur in aquæ copiam, ſemper immutata maneat, & quomodo ex aqua ignem, & ex igne aquam formabit Natura, aliqua tamen immediatè inuicem tranſmutantur, vt fit in aere, & igne, in aqua, & aere &c. Cur autem id fiat in vno, & non in alio, prouenit ex diuerſa eorum natura, & vi reſiſtendi, quia ob ſummam denſitatem terræ fit, vt non poſſit in alia Elementa immediatè tranſmutari, & ob ſummam contrarietatem aquæ, & ignis; mediatè verò omnia Elemēta inuicem tranſmutantur, vbi per ly *mediatè* intellige mediationem formæ ſubſtantialis: ſic poſtquam omnia Elementa concurrerunt ad mixtionem compoſiti ſæpè fit, vt totum compoſitum reſoluatur in aliquod particulare Elementum, vt in cadauere naturaliter mortuo omnia reſoluuntur in terram; vel ſi cremetur in ignem; vel ſi aquæ immergatur in aquam, & multa ſæpè artificiosè in aerem.


Quæres 10. An Elementa grauitent, vel leuitent in naturali loco. R. Dubium non eſt, quin ſemper, quoad actum primum leuitent,

uitent, & grauitent, quia hoc nihil eſt aliud, quàm intrinſecum principium tendendi deorsùm, niſi ſuſtentetur, vel ſursùm, niſi retineatur, ſed difficultas eſt, quoad actum ſecũdum, & exercitium, & ſenſus eſt, an aqua, v. g. in ſuperficie terræ infra omnem aerem adhuc quærat deſcendere, & ignis in ſua ſphæra aſcendere. Affirmant Nonnulli, ſed malè; quæro enim de terra, vtrum queat, naturaliter mutare locum inde vbi eſt: ſi ſic, contrà, nàm non poteſt deſcendere, niſi ad locum infimum, vbi iam reſidet; ſi non, ergo habeo intentum, ſecundò cur lignum ſupernatat aquæ? nùm, quia naturali loco repoſitus vltià non quærit deſcendere? & ſi huius rationem à priori quæras, eſt: quia grauitas, quoad actum ſecundum eſt ad proprium locum conſequendum, quem tunc poſſidet.

Dices. Si quis baiulet vas aquæ, adhuc grauitat in actu ſecundo, & tamen eſt in proprio loco ſupra terram. ℞. Negando, quòd tunc ſit in proprio loco, nam proprius eius locus eſt ſupra terram infra omnem aerem.

Quæres 11. Quæ Elementa dicantur diſſymbola. ℞. *Illa quæ continent ambas qualitates contrarias*, vt Ignis, & Aqua: Aer, & Terra; reliqua autèm dicuntur ſymbola patet ſequenti figurá,

Ignis,



Caput 5. De Miſtione.

QVæres 1. Quid ſit miſtio. ℞. *Eſt miſcibilium alteratorum vnio*, ità Ariſt. hic in calce lib. 1. dicitur autem *vnio* loco generis, multa enim ſunt vnita, quæ non ſunt miſta, vti Elementa: dicitur *miſcibilium alteratorum* loco differentiæ, pro cuius intelligentia.

Quæres 2. Quæ ſint miſcibilia. ℞. Tres potiſſimum requirunt conditiones; prima eſt, vt ſint diuiſibilia in minutiſſimas partes, vndè ferrum non eſt miſcibile, & eſt idem, ac eſſe fluidum. Secunda eſt, vt ſint inuicem actiua, & paſſiua, tertiò debent habere propoſitionem æqualem actiuitatis ad inuicem, quia ſi vnum multùm ſuperet aliud, iam non fiet Miſtio, ſed mutatio debilioris in fortius.

Quæres 3. Quomodò Miſtio diſtinguatur à ge-

à generatione mixti. ℞. Diſtingui formaliter tantùm; quatenus ſcil. generatio præcisè intendit reſultantiam compoſiti, Mixtio verò reſpicit miſcibilia.

Quæres 4. An ad quamuis Mixtionem cõcurrant omnia quatuor elementa. ℞. Affirmatiuè de mixtis perfectis, quia ex refractione eorum debet reſultare aliquod temperamentum primarum qualitatum; ſecùs ſe res habet in mixtis imperfectis, ſeù meteoris, de quibus infrà.

Quæres 5. An, & quomodo elementa maneant in mixto. ℞. Difficultas eſt, an remaneant in mixto ſecundùm propias formas ſubſtantiales, an virtualiter tantùm, vt vult communis opinio, & rectè, nàm elementa ſunt in mixto refracta, ſed ſic eſt, quòd formę ſubſtantiales non refranguntur, quia non ſuſcipiunt mag.s & minus, ergo &c. Secundò incompaſſibiles ſunt formæ elementorum cum qualitatibus diſsymbolis, atqui omnes qualitates diſsymbolæ ſunt in mixto, ergo non ſunt formæ ſubſtantiales.

Dices cum Morando. Si materia daretur ſine omni forma ſubſtantiali, & in ea qualitates refractæ, hoc non eſſet verum mixtum ſubſtantiale defectu formæ ſubſtantialis, ergò formæ ſubſtantiales remanent in mixto ſubſtantiali. ℞. Non eſſet verum mixtum ſubſtantiale defectu formæ ſubſtantialis reſultantis non defectu formarum elementarium remanentium, vt Ipſe contendit.

Quæres 6. Quis ſit formalis terminus ad quem mixtionis. ℞. Duo ſunt, de quibus dubitari poteſt; temperamentum ſcil. quod

reſurgit ex refractione qualitatum, & forma ſubſtantialis mixti, quod Galenus non ſecernens temperamentum aſſignauit, ſed hoc ex dictis patet eſſe falſum, quia Mixtio eſt realiter idem cum generatione mixti, ſed poſterioris terminus eſt forma ſubſtantialis, ergo & prioris; nec enim mutatio ſubſtantialis habet pro termino temperamentum reſultans ex accidentibus.

Dices. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, ergo ipſius terminus eſt ex miſcibilibus alteratis, ſed hoc eſt temperamentum, ergo &c. ℞. Duo conſiderantur in Mixtione, alterum eſt miſcibilium alteratio, & hoc ſpectat temperamentum, quia eſt motus accidentalis; alterum eſt vnio, & huius terminus eſt forma ſubſtantialis, modò Mixtio cōpletur in vnione, & ideò huius terminus dicitur forma reſultans.

Quæres 7. An poſſit dari mixtum in qualitatibus excedens elementa. ℞. Dubitandi rationem aſſignat Picolomin. quia experientiâ videmus aliqua mixta, puta Mandragoras, & ſimilia venena, quæ ſuo frigore necant, quod tamen non facit frigidiſſima aqua, & ſic etiam aliqua mixta, vti metalla ſunt grauiora ipſa terra; nihilominùs dico negatiuè, & ratio eſt, quia nihil poteſt excedere qualitates in gradu intenſiſſimo, atqui purum elementum, ſi daretur, habet ſuam qualitatem in gradu intenſiſſimo, ergo &c. ſecundò, ſi ſit mixtum debet habere qualitatem refractam, quæ ſēper eſt minor qualitate pura. Ad rationem dubitandi, dico, quòd ſimilia venena non necent ſuo frigore, ſed

per

per qualitatem occultam, ad graue dico, nulla metalla excedere grauitate terram, ſi pura ſumatur, ſicut probabiliter eſt in imis ſuis partibus, licèt quidem excedat hanc terræ ſuperiorem partem, vbi non eſt pura, vt ſit humano vſui magis accommodata.

Dices. Glacies eſt mixtum, vt videbimus in Meteoris, & tamen eſt puriſſima quauis aquâ frigidior: vndè dicit Stagirita, eam eſſe exceſſum frigoris. R. Negando ſecundam partem aſſumpti. Ad auctoritatem Ariſt. dico non poſſe eſſe, vltra gradum intenſiſſimum, qui etiam in aqua (ſi pura daretur) reperiretur.

Quæres 8. An detur mixtum omnino æquale ex quatuor elementis. R. Æqualitas duplex eſt in Mixtione; alia ad pondus, id eſt quoad gradus, vt calor ad quatuor, & frigus ad quatuor, altera quoad iuſtitiam, ita vt, ſi nō eſt paritas quoad gradus, ſit ſaltem quoad virtutem, & actiuitatem, ſic, ſi calor ad tres ſit tàm actiuus, quàm frigus ad quinque, dicetur æqualitas quoad iuſtitiam, & placet opinio affirmatiua, quoad vtramque, quam ſic probo. Datur tranſitus ab vno extremo ad aliud, tàm, quoad virtutem, quàm quoad gradus; ergo datur tranſitus per medium, nec enim naturaliter datur tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium, quod erit æqualitas.

Dices. Cùm Auerroe: mixto æquali quoad pondus non eſt aſſignabilis locus in vniuerſo; ergo non eſt dabile; conſequentia tenet; antec. probo: non in regione aeris, vel ignis, quia eſſet grauius his, nec in regione

terræ, aut aquę, quia eſſet leuius his, ergo &c. ℞. Fore, vt ſiſteret in medio, & talis locus eſſet, & eſt de facto ſuperficies terrę, & aquę: vnde videmus multa ſuper aquas natare.

Quæres 9. An temperamentum reſultans ex refractione primarum qualitatum, ſit vna qualitas & forma, vel plures. ℞. Varij variè ſentiunt; Alij enim duas eſſe qualitates opinantur, iuxta duplicem primarum qualitatum oppoſitionem, & vnam ex frigoris, & caloris mixtione reſultare volunt, alteram ex humiditatis, & ſiccitatis vnione; Alij verò omnes quatuor diſtinctas ſeruari cenſent, Alij demum, (quibus aſſentior) vnicam eſſe qualitatem compoſitam putant, ſicuti ex multis coloribus reſultat, vnus medius; & probatur, ratione quidem demonſtratiua: in Mixtione qualitates refractæ omnes vniuntur, ſed quæ vniuntur conſtituunt vnum; Ergo &c.

Dices. Duabus oppoſitionibus, quarum extrema vniuntur correſpondent duo media; ergo &c. ℞. Duabus oppoſitionibus, quorum extrema ſigillatim vniuntur, correſpondent duo media concedo, quæ ſimul, & iterùm ſubdiſtinguo: correſpondent duo media adæquata, nego; inadæquata concedo.

Quæ dicenda reſtant de Accretione, & Diminutione; commodiùs in libros de Animâ transferimus, & ſit.

FINIS LIBRORVM DE GEN. ET COR.

Tra-

Tractatus Octauus

Super libros Ariſt. Meteororum.

Caput 1. *De Meteoris in genere.*

QVæres 1. Quid ſit Meteorum. R. *Eſſe mixtum imperfectum ex duobus, vel pluribus elementis alteratis*, licèt propriè ex vi nominis ſignificet tantùm ea, quæ in ſublimi fiunt: Meteoron enim græcè ſublime ſignificat, & ſic dicitur, ex eo, quòd pleraquè ex his in aere fiant.

Quæres 2. Quæ ſit cauſa efficiens Meteororum. R. Præcipuas cauſas eſſe Solem, & Cœlum, licèt etiam concurrat ſæpè calor, & ignis ſubterraneus.

Quæres 3. Quæ, & quotuplex ſit cauſa materialis. R. Materia horum duplex eſt, remota ſcil. & proxima: remota ſunt quatuor elementa, & præcipuè terra, & aqua; proxima verò eſt duplex halituum genus virtute Solis ex iſtis elementis eleuatorum.

Quæres 4. Qui ſint illi halitus. R. Vnus dicitur Vapor, & eſt halitus humidus, & calidus ex aqua, vel humidiori terræ parte eleuatus; alter dicitur Exhalatio, & eſt halitus calidus, & ſiccus facilè aptus accendi, qui ex terræ ſicciorıbus partibus, vi Solis, eleuatur: & hæc eſt iterum duplicis generis, altera pinguior apta facilè comburi, altera aridior, quæ in ventos abit.

Quæres 5. Quis ſit locus vbi meteora generantur. R. Præcipuè eſſe aerem, quamuis ſæpè in viſceribus terræ contingat.

Quæres 6. Quotuplicia ſint Meteora. R. Secundùm quatuor elementa diuidi in ignita, aerea, aquea, & terrea, de quibus ſigillatim.

Caput 2. De Meteoris Igneis.

QVæres 1. Quid ſit Meteorum igneum. R. Eſt *cum exhalatio pinguis à Cœlo eleuata in aeris regione accenditur;* & eſt ſubſtantialiter ignis, qui, iuxta varias figuras, diuerſimodè denominatur.

Quæres 2. Quid ſit Cometa. R. Eſt *exhalatio in ſuperiori aeris regione flagrans præſeferens figuram rotundam per modum Comæ, vel in longum protenſæ per modum caudæ:* hoc autèm fit, vel ſub aliqua determinata Stella, & tunc ordinariò diutiùs durat, & motu illius ſtellæ mouetur, vel ſeorsùm poſitus eſt, & tunc faciliùs diſſoluitur; portendit autèm ventos, calorem, ſterilitatem terræ, quia plurimum ſuccum pro pabulo ex terrà attrahit, ex quo vltrà inficitur aer, & morbi oriuntur, & ſimilia.

Quæres 3. Quæ ſint aliæ huiuſmodi, quæ videntur impreſſiones. R. Sunt ex exhalationibus eleuatis à Cœlo, quæ varijs modis accenduntur, aut in media aeris regione per actionem per antiperiſtaſim aut in ſuprema, præ nimia illius regionis caliditate, & ex varijs figuris, quas referunt, varia nomina ſortiuntur; ſi enim ignis appareat amplus, nec mul-

multùm pinguis, vel craſſus, dicuntur Flammæ, vel Stipulæ ardentes; quòd ſi corpus accenſum ſit oblongum, & in vna parte appareat lux clarior, in altera verò, ob materiæ denſitatem fumus minùs lucidè ardeat, dicitur Fax, vel Torris; ſi verò per totam longitudinem luceat, dicitur Trabs, vel Columna: at ſi fumus appareat in rotũdo, & ex vna parte illuſtretur, à parte exiſtente in medio dicitur Lampas: quando autèm flamma, modò huc, modò illuc diſcurrit, dicuntur Capræ ſaltantes; quòd ſi materia ſit combuſtibilis faciliter, ita vt ex vna parte celeriter feratur ad alteram, dicitur Stella volans. Scintillæ dicuntur, quæ aliquando ex illis inflammationibus decidunt, Ignis perpendicularis, qui pyramidis habet figuram. Ignis fatuus eſt, cùm ex infima aeris regione accenſa exhalatio fertur in nubes volens iuxta naturam ignis aſcendere, ſed à nubibus repercuſſus videtur reſultare, & gignitur plerumque ſuper loca viſcoſa, quia eſt ex materia valdè craſsa: Stella demùm cadens dicitur, cùm modica exhalatio accenſa verè, vel apparenter deſcendit, & tales probabiliter erũt, quę tempore Antichriſti deſcendent de Cœlo, de quo in ſcriptura; ſi autem lateraliter moueatur, dicitur Stella diſcurrens.

Quæres 4. Quid ſit Fulgur, Fulmen, & Tonitru. ℞. Sciendum eſt aerem diuidi in tres regiones; ſupremam ſcilicet, quæ propter vicinitatem ad ſphæram ignis, vt putant Aliqui, vel potiùs ob naturalem ſibi ſitum eſt calidiſſima; infimam quæ eſt hæc, quâ nos vtimur, temperata ad victum huma-

num, & moderatè calida ob repercuſſionem radiorum Solarium à terra, & moderate frigida ob vicinitatem ad terram, & aquam, hinc media, quæ eſt omnium frigidiſſima, vt experientiâ patet, quod ſit propter actionem per Antiperiſtaſim; cùm enim vapores frigidiores, & humidiores ex terra eleuantur; illi ſæpè non poſſunt tranſcendere iſtam regionem, ob ſummam ſuperioris regionis caliditatem, & ex parte inferiori, etiam repercutiuntur radij Solares, vndè vtrimque iſto calore conſtipata regio frigidiſſima efficitur. Quibus ſuppoſitis dico ad quæſitum: Fulmen nihil eſt aliud, quàm *exhalatio valdè calida facilè combuſtibilis in nube concluſa*, vndè cùm nubes ſuo frigore agat in illam exhalationem, ipſa ſe ita intendit per Antiperiſtaſim, vt accendatur, & quærens hinc inde erumpere tandem fractâ nube ſe emittit, & ecce Fulmen: ipſe autèm rumor, qui fit in diſruptione nubis eſt Tonitru. Quòd ſi nubes ſit tenuior, & ignis magis amplus, tunc flamma ſine rumore erumpit, & ſe latè diſpergit, atque hoc eſt Fulgur; ratio verò, cur fulmen lateraliter vibrando feratur, eſt, quia cùm ſit ignis, vult tendere ſurſùm, at cùm impetu deorſùm feratur, nequit, ſed lateraliter motu medio fertur.

Caput 3. De Meteoris Aqueis.

QVæres 1. Quid ſit Meteorum aqueum. R. Eſt *Meteorum conſtans prædominio temperamenti aqueo*, & eius forma ſubſtantialis eſt aqua.

Quæ-

Quæres 2. Quid ſit Nubes, & Pluuia. ℞. Definit illam Ariſt. quòd ſit *halitus ex aere in aquam mutatus*, dicitur autem *ex aere* propter ſimilitudinem, quàm habet iſte halitus, cum aere, & ſic generatur: quando eleuatur vapor à terrâ in ſecunda aeris regione, præ nimio frigore condenſatur, & fit aqua, vndè deinde guttatim pluendo terram irrigat; cur autem non tota ſimul nubes decidat, eſt, quia necdum eſt in aquam conuerſa, & ſecundùm quod in aquam reſoluitur, ſemper depluit: cur autem forma guttarum ſit rotunda, eſt: quia illa figura magis conſeruat rem, & cõgregat; indè natura prouida guttas rotundas effecit, ne diſpergantur.

Quæres 3. Quid ſit Nebula. ℞. Eſt *pars reliqua nubis, quæ in aquam ob nimium calorem, vel ſiccitatem non conuertitur, vel cùm vapor eleuatus aliàs ſoluendus in nubem eſt calidior, & ſiccior, & rarior*.

Quæres 4. Quid ſit Nix. ℞. Eſt *cùm vapor ille citius congelatur, quàm in aquam perfectè ſit verſus*; vndè rarior eſt, & difficilius à Sole diſſoluitur.

Quæres 5. Quid ſit Grando. ℞. Eſt, *cùm pluuia in deſcenſu gelatur*.

Quæres 6. Quid ſit Ros, & Pruina. ℞. Ros eſt, *cùm eleuatur modicus, & ſubtilis vapor non habens ſufficientem calorem, vt ſuperiùs ad ſecundam aeris regionem deueniat, ſed in infima ſtatim mutatur in aquam per frigus nocturnum tempore Veris*; quòd ſi prius congeletur, quàm in aquam mutetur, fit Pruina; cur autem Pruina, vt plurimum fœteat, fit ob terreſtre commixtum, & propter frigus, non

ſatis conſumptum, & purificatum.

Quæres 7. Quid ſit Glacies. R. Eſt *aqua à frigore ambiente coagulata* conſpirante ad hoc, tùm propriâ naturâ aquæ, tùm terreo humore comixto, tùm frigore, cuius (vt diximus) eſt omnia conſtipare.

Quæres 8. Quid ſit Manna, & Mel. R. Eſt *Liquor roridus, & dulcis in infima aeris regione ante caniculæ ortum genitus*; gignitur autem ex modico calore ipſum concoquente, & frigore nocturno coagulante; Mel autem roridum in hoc differt à Manna, quòd ſit minùs coagulatum.

Quæres 9. Vndè Flumina, Fontes, & ſimilia oriantur. R. Hæc propriè non ſunt Meteora, nihilominùs, quia communiter hoc loco tractantur, dico hæc omnia haberi per terræ abditas venas communicantes aquas maris, quæ per illos meatus purificantur, vel in abditis terræ partibus ex aere ibi exiſtente generantur, quia aer ex natura ſua facillimè in aquam mutatur per alterationem frigoris, & condenſationem quæ ibi facilè contingit ex conſtitutione loci.

Quæres 10. Vndè Mare fluat, & refluat, & ſalſum ſit. R. Tota fluxus, & refluxus maris ratio in Lunam refunditur, quæ, cùm ſit facultatis humidæ, & frigidæ, maximè dominatur aquis, ſed non in omni Mari eadem eſt ratio, in nonnullis enim comperimus, quòd Lunâ aſcendente ab horizonte ad meridianum, Mare fluat, & ab hoc iterum vſque ad horizontem refluat, & iterum ſub horizonte vſque ad oppoſitam partem meridiani fluit, donec ab illo iterùm ad hori-

zon-

zontem refluat, ſic, vt ſingulæ mutationes ſex horis contingant, in alijs autem alia eſt ratio, in qua tamen videmus regulari, ſecundùm Lunam, locus autem, quo aquæ fluunt ſunt (vt dixi) tùm abditi terræ meatus, tùm alia Maria vicina. Quo ad ſalſedinem dico, Mare tale eſſe creatum, quod enim Alij in copioſos aduſtos vapores in Mare cadentes, & ſpumam eiuſdem referunt, non ſubſiſtit, quia Mare illa omnia, tùm quantitate, tùm qualitate longè ſuperaret.

Caput 4. De Meteoris Terreis.

QVæres 1. Quid ſit Ventus. R. Eſt *exhalatio calida, & ſicca, ex terra virtute Solis eleuata*; quæ, dum quærit ſurſum tendere à nubibus repellitur, & iuxta hanc repulſionem huc illuc agitatur vndè videmus, quòd niſi ſint nubes, numqam fiat ventus; quòd ſi non videantur nubes, tunc illic ventus non generatur, ſed alibi; vndè plerumque poſt ventos pluuiam ſequi experientià comperimus.

Quæres 2. Quid ſit Terræ motus. R. Eſt *cum multæ exhalationes in viſceribus terræ virtute Solis generatæ quærunt erumpere, & obſtructo tranſitu, terram diſrumpunt, & quatiunt.*

Quæres 3. Quid ſint Mineralia. R. *Sunt halitus terrei vario modo influxu ſolis coagulati in abditis terræ viſceribus, vt ſunt metalla, gemmæ, & ſimilia.*

QVæres 1. Quid ſit Iris. R. Eſt arcus ille, quem ſæpè videmus in nube, & ſic contingit, materia eius eſt nubes aquoſa parata diſsolui in imbrem, forma verò reflexio radiorum Solarium, vel Lunarium, & triplici conſtat colore; prior eſt rubeus, vtpotè perfectiùs radios Solares exprimens, alter viridis, vtpotè minùs clariùs; tertius purpureus, qui eſt obſcuriſſimus, quia radios Solares imperfectiſſimè exprimit.

Quæres 2. Quid ſint Pareliæ, Virgæ, & Halo. R. Halo, ſeu corona eſt, cum in nube poſita ſub Sole, vel Luna directè effigies eiuſdem per modum circuli, vel coronæ apparet, quòd ſi à latere appareat ſic, vt effigies nobis objciatur ſit, vt duo ſoles appareant, & dicuntur pareliæ; quòd ſi per nubes tranſeant radij Solares à latere per lineas rectas dicuntur virgæ.

Quæres 3. Quid ſit Galaxia. R. Putant Moderniores eſſe denſiorem Cœli partem, ſed cùm Cœlum fluidum eſſe probauerimus, hoc non ſubſiſtit, vndè cum Ariſt. potiùs dicendum eſſe congeriem multarum ſtellarum paruarum, & modici luminis.

FINIS METEORORVM.

Tractatus Nonus

In Libros Ariſt. De Anima.

Caput 1. De Anima in genere.

QVæres 1. Quid ſit Anima. R. Eſt *actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis*, ita Ariſt. hic lib. 1. t. 6. dicitur *actus*, nàm omnis forma eſt actus eius, cuius eſt forma; anima autem eſt forma. Dicitur *primus*, quia animæ, licèt ſint aliæ formæ, cum ipſa in materia, tamen ipſa eſt actus primus, ſeù principalis. Dicitur *corporis phyſici*, ſeù naturalis, ſcil. compoſiti veri, quod ſuprà tradidimus tract. 1. c. 5. *organici*, id eſt heterogenei, & per debita organa diſpoſiti ad operationes vitales exercendas: dicitur *potentiâ vitam habentis*, quia omnis anima, dùm informat, dat vitam cõpoſito; vndè compoſitum, antequam illam habeat, dicitur habere vitam in potentiâ.

Quæres 2. Quotuplex ſit animæ gradus. R. Triplex vegetatiuus ſenſitiuus, & intellectiuus, de quibus ſigillatim, vndè definit eam Ariſt. hic t. 24. *id quo viuimus, ſentimus, & intelligimus*.

Quæres 3. In quo conſiſtat ratio vitæ. R. Cum iam ex definitione collegerimus Animam eſſe principium vitæ, ſcire oportet quid ſit, & in quo conſiſtat vita, & dico cõſiſtere in calore natiuo, & humido radicali, & mutua horum actione: per calorem autem

tẽm natiuum non intelligitur præcisè elementaris aliquis calor, ſed qualitas quæ iam effecta ab ipſa anima per virtutem vitalem: humidum verò radicale, eſt materia quædam humida pinguis, & viſcoſa inſita ex ſemine in generatione, & diſperſa per totum corpus in quam continuò agit calor natiuus, quapropter continua reſtauratione indigemus, de quo infrà, vbi de Anima vegetatiua.

Quæres 4. In qua parte corporis reſideat Anima. R. Omiſſis varijs Antiquorum opinionibus, ſecundùm entitatem, & actuationem reſidet in toto corpore viuentis, at ſecundùm particulares operationes in partibus diſtinctis, vt quoad vitale exercitium, præcipuè in corde, quoad intellectum, & ſẽſum in capite, & ſic de cæteris.

Quæres 5. An ſingulis gradib⁹ vitæ ſingulæ correſpondeant animę. R. Senſus eſt v.g. in homine eſt triplex gradus vitæ, puta vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, & quęritur, an hæc omnia ab vnica, an verò à pluribus (vt volebat Auicembron) procedant animabus. Ariſt. cum communi, omnia per vnicam ſtatuit Animam, & meritò; nec enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, quod hic contingeret, omnia enim in vnica anima poſſunt ſaluari, quod ſic probo: Tantùm eſt vnum corpus, ergo tantùm vna anima: antec. ſuppono; conſequentiam probo, nam ſicut vnum corpus ſufficit ad omnia munera illorum graduum obeunda, cur non & vna Anima?

Dices. Anima intellectiua eſt ſpiritualis;

ope-

operationes ſenſitiuæ ſunt materiales, ergò non poſſunt elici ab vna Anima intellectiua. ℞. Anima, licet in entitate ſit ſpiritualis, in operatione tamen eſt materialis, quod non repugnat.

Quæres 6. An præter Animam in viuente dentur aliæ formæ ſubſtantiáles. ℞. Senſus quæſiti eſt, an v.g. præter Animam in homine detur partialis forma ſubſtantialis, carnis, oſſis, nerui &c. & eſt idem, ac dicere, ſi caro, os, ſanguis, &c. habeant, præter Animam, proprias ſubſtantiales formas partiales. Negant Thomiſtæ, ſed perperàm, oppoſitum enim aperté inſinuatur in definitione Animæ, vbi dicitur, quòd ſit actus corporis, ergo Anima ſupponit corpus, ergo alias formas ſubſtantiales; nec enim corpus eſt ſine forma ſubſtantiali.

Reſpondent Thomiſtæ, quòd Anima dicatur actus corporis, non quia præſupponit corpus, ſed quia conſtituit corpus, ſicut lux dicitur actus lucidi, non quia ſupponit, ſed quia conſtituit lucidum.

Sed contrà: Hæc definitio loquitur antequam inſit Anima, ergo non benè dicitur corpus tale conſtitui per Animam, conſequẽtia tenet, probo antec. nam definitio procedit de corpore potentiâ vitam habente; ergo antequam inſit Anima, quia dum ineſt Anima, non potentiâ, ſed actu viuit.

Dices 1. Plus differunt duo gradus vitæ, quàm caro ab oſſe, ſed prius habetur ab vna Anima, ergo & poſterius. ℞. Ratio eſt diſpar, nam prius prouenit ſecundùm diuerſas potentias, quæ rectè attribuuntur vni Ani-

mæ,

Digitized by Google

mæ, ſed poſterius ſecundùm diuerſas actuationes, quæ non poſſunt competere vni formæ.

Dices 2. Omnes formæ habent determinare in ſpecie, ſecùs eſt de forma carnis, & oſſis, ergo &c. ℞. Antecedens verum eſt ſeruatâ proportione; & ſic etiam formæ ſubordinatæ poſſunt determinare ſubiectum ad ſubordinatam ſpeciem alteri, ſicut non ſubordinatæ ad non ſubordinatam.

Quæres 7. An in corpore animato detur forma corporeitatis. ℞. Senſus eſt, an præter animam detur forma quædam totalis, quæ vna ſit ſingulis organis accommodata, & dat omnibus ſuum eſſe; vt vult Scotus. Sed communis opinio eſt in oppoſitum, & rectè, vt patet, tùm partim ex dictis, tùm quia corpus animatum eſt organicum; ergo heterogeneum; ergo conſtituitur per plùres formas; nec enim video, quomodo vna forma poſsit conſtituere partes definitione diſcrepantes.

Dices. Omnes iſtæ partes ſunt vnitæ; vel ergo per vnionem formæ ſubſtantialis, vel accidentalis: ſi prius, habetur intentum; ſi poſterius hoc videtur abſurdum. ℞. Eſſe vnitas per ſeipſas immediate, ſeù per proprias formas partiales; hæ enim talem ex ſe dicunt coordinationem, vt non oporteat aliud medium quærere, per quod connectantur partes.

Quæres 8. Quomodò vna Anima contineat omnes gradus vitæ. ℞. Difficultas eſt, an formaliter, an virtualiter, & eminenter: communis opinio eſt contra S. Thomam

con-

continere formaliter, cui adhæreo; homo enim formaliter eſt animal: non aliundè quàm ab Anima, ergo Anima hominis continet formaliter gradum animalitatis.

Dices. Ariſtot. hic T. 31. ait gradus vitæ contineri in Anima, ſicut triangulus in quadrangulo, ſed hic non continetur formaliter, ergò &c. ℞. Ariſtot. Hoc dixit abſtrahēdo de modo formaliter, vel non formaliter, & attendendo ſolùm præcisè, quòd contineatur.

Quæres 9. Quot ſint potentię animæ in communi. ℞. Quinque, ſcil. vegetatiua, ſenſitiua, loco motiua, appetitiua, & intellectiua, de quibus infrà.

Quæres 10. An potentiæ diſtinguantur inter ſe, & ab Anima, & quomodò. ℞. Thomiſtæ omnes cum Angelico D. & Nonnulli alij putant diſtingui realiter. Sed placet oppoſitum cum Scoto, & alijs; nec enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; atqui hic nulla eſt neceſſitas multiplicationis realis potentiarum; ergo &c. & ratio poſitiua eſt, quia, ſi Anima intelligat per potentiam à ſe diſtinctam, iam non ipſa, ſed eius potentia intelligit, quia intellectio, vtpotè, cùm ſit actio immanens, hæret in ſuo immediato principio, quod eſt potentia intellectiua: ſecundò differentiæ viuentium, ſumuntur ab anima, ſed differentiæ viuentium, puta ſenſitiui, & vegetatiui ſunt à potentijs; ergo anima, & potentiæ ſunt idem.

Dices. Cum S. Thomas 1. p. q. 77. art. 1. in corpore. Potentiæ ſpecificantur ab actu; ſed actus ſunt accidentia, ergo & potentiæ.

℞. Re-

R. Retorquendo argumentum: actus ſpecificantur ab obiecto, ſed obiectum ſæpè eſt ſubſtantia, ergo & actus: ſoluant Thomiſtæ poſterius,& ego prius: dico ergò nihil obeſſe, quominùs ſubſtantiæ aduenıant aliquæ rationes acc dẽta es,vt n homine ratio albi, paternitatis,& ſimilia,vnde in forma neganda eſt conſequentia.

Dices 2. Cum Porrecta in l.c. D.Th. ſi anima eſſet ſua potentia ſemper actu exerceret ſuas operationes. Sequelam probat, quia ſi Animæ eſſentia eſt immediatum operationis principium, & Anima ſemper eſt actu, ſemper erit operatio. R. Negando ſequelam, ad cuius probationem nego iterũ ſequelam, deberet enim inferre; ergo ſemper erit operationis principium,non verò ipſa operatio.

Quæres 11. Vndè ſpecificentur potentiæ. R. Cum Ariſt. hic 2. t. 33. quòd potentiæ ſpecificantur ab actu, & actus ab obiecto, quod optimè probat S.Thomas l.c.art.3. indè ſpecificantur potentiæ, vndè habent eſſe talis potentiæ, ſed hoc habent ex ordinatione ad actum,& actus ex ordinatione ad obiectum, ergo &c. maior patet, min. probatur inductione; vndè enim dicitur potentia viſiua, niſi quia eius actus eſt viſio; & vndè actus dicitur viſio? ex obiecto lucido colorato apprehenſo.

Dices. Nihil ſpecificatur ab eo, quod eſt poſterius ipſo,vel extrinſecum; atqui actus eſt poſterior potentiâ, & obiectum extrinſecum; ergo &c. R. Cum S. Thoma l. c. ad primum; quòd actus & obiectum in entitate eſt quidem poſterior, & extrinſecus, ſed in inten-

intentione,ſecundùm quam dirigatur potentia quodammodo eſt prior.

Dices 2. Obiecta ſæpè ſunt contraria, vt album, & nigrum in ratione viſiuæ, ergo non poſſunt ſpecificare vnam potentiam. R. Omnia contraria ſub vno ſunt genere, & ratione communi, quam reſpicit potentia, vt ad propoſitum album, & nigrum in ratione viſibilis, & penès hoc ſpecificatur potentia.

Quæres 12. In quo ſubiectentur Potentiæ. R. Senſus quæſiti, non de potentia materialiter conſiderata procedit, quia ſic eſt idem, quod Anima, ſed pro ſuo formali; & dico aliquas in ſola Anima eſſe, illas ſcil. ad quas compoſitum organa non habet, vt eſt intellectus, & voluntas, quas Anima habet independenter ab organo; alias radicaliter in Anima, & executiuè in corpore: & ſunt illæ, ad quas compoſitum organa determinata habet, vti generare, vegetare &c. Anima enim ex ſe, nec generat, nec ſentit, nec iraſcitur; vndè ait Ariſt. *dicere animam iraſci, vel odiſſe eſt dicere eam texere, vel filare*, ita hic 1. t. 64.

Quæres 13. An poſſibile ſit accidentalis Anima. R. Non quæro, an omnis Anima ſit ſubſtantia, hoc enim defacto contra quoſdam Antiquos perſpicuum eſt; ſed an ſaltem per Deum poſſibilis ſit Anima, quæ ſit accidens; & dico negatiuè; de ratione enim Animæ eſt, quòd ſit actus primus corporis, quod impoſſibile eſt competere accidenti, nam hoc ſemper ſupponit actum priorem, nobiliorem, ſubſtantialem in materia.

Quæ-

Quæres 14. Vnde viuentia extinguantur? ℞. Difficultas eſt, an defectus proueniat ab Anima, an à corpore; & puto diſtinguendum de rationabilibus, & irrationabilibus: circa primum enim puto defectum tantùm ab organo procedere; cum enim anima rationalis ſit ſpiritualis, non videtur continuatâ operatione fatigari, vndè ait Stagirita, quòd ſi ſenex haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, innuens defectum, quòd ſenex nō ita lucidè videat, quàm iuuenis prouenire non ex Animâ, ſed oculo, ſeù organo in alijs verò cum animæ, vtpotè de materiæ ſinu eductæ, & ab illa, tàm in fieri, quàm in facto eſſe ſint dependentes, ſimul cum materia deficiunt, & ex ambabus oritur defectus extinctionis.

Caput 2. De Anima vegetatiua, & potentia nutritiua.

QVæres 1. Quid ſit Anima vegetatiua. ℞. *Eſſe Animam ignobiliſsimam, ſolius ſuæ ſpeciei, & proprij indiuidui conſeruatiuam per certas potentias*: Pro quo.

Quæres 2. Quæ ſint eius potentiæ. ℞. Sunt potiſſimùm tres nutritiua, & augmentatiua, & generatiua.

Quæres 3. Quæ ſit nutritiua. ℞. *Eſt potentia, cuius proprium munus eſt indiuiduum in ſuo eſſe conſeruare*; cùm enim in compoſito viuente calor natiuus continuò agat in humidum radicale, illudq; deperdit; requiritur potentia, quæ illud continuò reſtauret ad hoc vt compoſitum in eſſe remaneat, quod fit per nutritionem.

Quæ-

Quæres 4. Quænam potentiæ huic ſubordinentur. ℞. Hæ quatuor ſcil. attractiua, retentiua, concoctiua, & expulſiua. Potentia attractiua eſt illa, quę attrahit cibum ad partes; niſi enim attrahatur eò vbi, perfecta debet fieri nutritio, nullibi fiet, cùm autèm ſtatim, ac attractus eſt cibus, perfecta nutritio fieri nequeat, requiritur retentiua, quæ cibum retineat donec perficiatur nutritio; at verò, cùm cibus crudus in ſubſtantiam viuentis nequat conuerti, requiritur tertia potentia, quæ eſt concoctiua. Et demum cùm non omnia ad nutritionem deſeruiant, ideò natura inutilia reijcit, & ecce potentia expulſiua. Ex his patet, quid ſit nutritio, *conuerſio* ſcil. *cibi in ſubſtantiam viuentis.*

Quæres 5. Quomodò fiat nutritio. ℞. Primò manifeſtum eſt cibum in pleriſq; animalibus dentibus conteri: vndè ad ventriculum tranſmittitur vbi liquatur, & concoquitur; & in iſta concoctione deperdit cibus ſuam formam ſubſtantialem, & tunc ſeparantur partes magis ſubſtantioſæ, & ad nutritionem accommodaræ & fit quidam ſuccus albus, qui dicitur chylus, & deindè reliquis excrementis relictis, quę per ſeceſſum expelluntur mittitur ad hepar per venas: ibi ſanguificatur relictâ flauâ, & atrâ bile, quarum prima à felle, altera à ſplene attrahitur: vndè deindè iſte ſanguis in carnem, & aliam ſubſtantiam aliti virtute vitali per venas diſperſus conuertitur, & quæ deindè excrementa manent, in pilos, & vngues tranſeunt. Ex puriori vltrà ſanguine fiunt in corde ſpiritus vitales, & in capite animales: quæ

quo-

quomodò & qualiter fiant, accuratius indagare, non noſtri, ſed Medici eſt inſtituti.

Quæres 6. Quandò fiat Nutritio? ℞. Fieri continuò, quamdiu viuens in ſuo eſſe manet; cùm enim continuò aliquid per actionem vitalem caloris natiui in humidum radicale deperdatur, neceſſariò etiam ſemper aliquid reſtauratur, licèt enim viuens non ſemper cibum capiat, tamen interea nutritur ſanguine, quod deinde per ſuperuenientem cibum reparet.

Quæres 7. Quare per nutritionem compoſitum non poſſit perpetuò conſeruari. ℞. Quia licèt Nutritio reſtauret ex humido radicali, & calore natiuo id, quod deperditum eſt, non tamen æquè perfectè, quia cùm ipſa Nutritio debeat fieri à calore natiuo, non poteſt ipſum excedere, ſed benè excedi, vt ſemper fit, vndè calor natiuus, & humidum radicale reſtauratum, eſt minoris virtutis quàm prius, donec tandem omninò deficiat & tunc viuens corrumpitur, ſicuti, ſi detur vas vino plenum, quod paruo foramine perforetur ſemper paulatim per illud foramen vinum effluet, at ſi deſuper loco vini effluentis guttatim aqua influat illud vinum ita paulatim deficiet, vt quod ante aquam in ſe cōuertebat, nunc ipſum in aquam conuertatur, & ſic deficiat: ita contingit in caſu noſtro, vbi cùm calor, & humidum paulatim deficiat cibo, veluti aquâ, reſtauratur, & ſic tandem omninò defecit.

Quæres 8. Quomodò in nutritione idem perſeueret, an ratione formæ. ℞. Certò cōſtat, quòd idem numero, qui naſcitur, etiam mori-

moritur, & reſurget iuxta illud Iob. 19. *ſcio quod* &c. *in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*, difficultas ergo eſt, quomodò maneat idem numero, cùm sēper aliquid pereat, & aliud reſtauretur, & ſic non idem remanere videtur. Zabarella, & alij dicunt, quòd ſola materia varietur, & ratione formæ manentis dicitur idem numero, ſed malè; nec enim minùs materia, quàm forma eſt conſtitutiua indiuidui, ergo ſicut mutatâ formà mutaretur indiuiduum, ita & mutatâ materia quinimò putant pleriq; materiam eſſe principale principium indiuiduationis, de quo modò non diſputo.

Quæres 9. An dicatur idem remanere, ob conſeruationem aliquarum partium. R. Diſtinguuntur partes in primogenias, hoc eſt, quæ in prima productione prolis generantur, & tales putant quidam non immutari, ſed eaſdem remanere, aliàs verò quotidiè accedente, & decedente materia renouari, & quoad priores compoſitum remanere idem numero, non quoad poſteriores; huius autem opinionis fuere Auerroes, Philoponus, Alijque multi antiquiores Philoſophi, ſed neq; hæc ſententia placet, quia gratis aſſeritur iſtas partes non mutari, cùm oppoſitum conſtet experientiâ, dum creſcunt, & iſtæ partes ſunt magis adaptatæ ad introſuſceptionem ſubſtantiæ in augmentum, & nutrimentum.

Quæres 10. An remaneat idem per æquiualentiam. R. Senſus eſt, an, licèt quotidiè accedat, & decedat materia, tamen, cùm vna æqui-

æquiualeat alteri dicitur manere idem, ſicuti dicitur idem numero fluuius æquiualenter, licèt partes aquæ quotidiè mutētur, ita Scotus cum ſuis, & Soto: ſed perperàm, nàm non ſolùm, ad idem numero conſeruandum ſufficit æquiualens ſubſtitutio partium, ſed eadem forma, & materia numero; dicitur enim idem fluuius, & quidem ſtrictè, non æquiualenter tantùm, quoad alueum; quoad aquam verò non poteſt idem numero dici.

Quæres 11. An maneat idem numero præcisè? quia numquam data fuit totalis deſtructio compoſiti. ℞. Affirmat Morandus tract. 2. de Anima quæſt. 9. dicens ideò remanere idem numero, non quod remaneat eadem materia, ſed quia numquam facta eſt actio totalis ſimul deſtruens compoſitum, ſed ſemper ſucceſſiuè: ſed nec hoc placet, licèt enim non mutetur breui tempore, puta vno anno, mutabitur tamen tota materia notabili ſpatio, puta viginti annorum: & ſic non remanſerit idem numero.

Quæres 12. Quomodo ergò in nutritione maneat idem numero. ℞. Quia manet, tàm materia, quàm forma totalis. Eſt contra omnes, quos vidi, vel audiui, & pro fundamento ſtabiliendum eſt, quòd in nutritione non mutetur materia, quod eſt cardo totius difficultatis, & ſic probo: per actionem caloris natiui in humidum radicale non perit materia, ergo neque in nutritione reſtauratur; conſequentiam ſuppono, antec. probo nulla enim actio perdit materiam, ſed expellit formam, & aliam inducit: vbi enim remanet materia, quam dicũt in nutritione recedere?

vndè

vndè clarè patet ſolutio ad quæſitum; quod, vt clarius intelligas, ponam differentiam opinionis aliorum, & meæ circa nutriti onem: Alij enim putant calorem conſumere humidum radicale in concreto, tam ſcil. quoad formam, quàm materiã, Ego verò ſolum humidum radicale, ſeù potiùs humorem radicalem in abſtracto puto conſumi ſine materia, & in hoc differt nutritio ab augmetatione; quòd in priori ſola forma, in poſteriori, etiam materia ſubſtituatur.

Caput 3. De Potentia Augmentatiua.

QVæres 1. Quæ ſit Augmentatiua. ℞ Eſt hæc ſecunda potentia Animæ vegetatiuæ, quâ ſcil. compoſitum viuens creſcit quoad quantitatem; cùm enim viuentia imperfecta ſint quandò producuntur, neceſſaria eſt augmentatio, quâ in perfectam creſcunt molem, & extenſionem.

Quæres 2. An augmentatio conſiſtat formaliter in additione ſubſtantiæ, vt molem dicit. ℞ Affirmant Tolet. Morand. & Alij, qui tamen in hoc differunt, quòd prior dicat quantitatem eſſe diſtinctum accidens à ſubſtantia: poſterior verò non, ſed neuter placet; nam in ſententia prioris augmentatio dicet duos terminos, & ſic non erit vnus, ſed duo motus; poſterioris opinio nititur fundamento impoſſibili: nec enim ſubſtantia ex ſe poteſt eſſe quanta; cum ſit indifferens, ergo requirit accidens ſuperadditum.

Dices. Augmentatio dicit acquiſitionem molis in viuente, ſed molis, nec ſolum ſub-

ſtantiam, nec ſolam quantitatem dicit, ſed vtrumq; ergo &c. R. Totum eſt verum materialiter, non formaliter, de quo hic.

Quæres 3. An augmentatio conſiſtat formaliter in extenſione præcisè. R. Affirmat Iandunus 4. Phyſ. quæſt. 10. ſed oppoſitum ſic probo, ſi augmentatio conſiſteret in maiori extenſione; etiam rarefactio eſſet augmentatio; quod tamen eſt inconueniens.

Quæres 4. In quo conſiſtat formaliter augmentatio. R. In additione noui humidi radicalis, & caloris natiui in concreto, & extenſiuè: patet partim ex dict. cap. 2. q. 12. partim ex reiectione aliarum opinionum, & demum, quia impoſſibile eſt horum vnū, vel ſolo intellectu ab altero ſeparare.

Dices. Multa augmentantur, quæ non habent calorem, nec humidum, vt ſaxa, vngues, pili &c. R. Nos hic loquimur de accretione vitali, non qualicumq; pro quo.

Quæres 5. In quo differant augmentatio viuentium, & non viuentium. R. Non viuentia creſcunt per continuatam iuxta poſitionem; viuentia verò per introſuſceptionem pro quo.

Quæres 6. Quomodo fiat augmentatio viuentium. R. Fieri ex ſanguine immediatè intercepto inter poros aliarum partium, in quibus virtute vitali mutatur in ſimilitudinem illarum partium.

Dices. Nec partes viuentis per introſuſceptionem creſcunt; nec enim partes aliquotæ habent poros: ergo &c. R. Pro ſolutione ſcito partes alias dici proportionales, & ſunt quæ ex ſe dicunt proportionem ad totum,

totum, vt brachium, crura &c. alias aliquotas, & ſunt, quæ aliquoties multiplicatæ cōſtituunt totum, & ſunt partes quæuis minimæ in quouis compoſito ſimiles illis, quas Athomiſtæ vocant indiuiſibiles; dico ergò augmentationem fieri per additionem partium aliquotarum, & introſuſceptionem earumdem in partibus proportionalibus: vndè patet ſolutio.

Quæres 7. Cur viuentia non ſemper creſcant. ℞. Quia organa per continuatum exercitium incipiunt deficere; vndè vbi ante ſufficientia erant ad augmentationem, generationem, & nutritionem, tandem primò in augmentatione, dein in generatione, & demum in nutritione deficiunt.

Quæres 8. An in quouis detur maximum, & minimum. ℞. Affirmatiuè in ordine ad viuentia, & omnia heterogenea, ſecus verò de alimentis eſt, & omnibus homogeneis; patebit conſideranti.

Caput 4. De Potentia Generatiua.

QVæres 1. Quæ ſit potentia generatiua. ℞. Eſt tertia potentia Animæ vegetatiuæ, per quàm ſcil. ſimile ſibi in ſpecie producit, cùm enim reliquæ priores potentiæ deſeruiant ad conſeruationem, & perfectionem indiuidui, quod tandem, vt videmus, deficit: hinc ad ſpeciei continuationem Anima eſt dotata hàc tertiâ potentiâ, per quam ſibi ſimile producat; quæ productio dicitur generatio, non quidem illá ſuppoſitione, quá ſuprà tract. 7. cap. 1. ſed ſtri-

ctus, & ſic definitur: *productio viuentis à principio viuente in ſimilitudinem naturæ*; dicitur autem *productio* loco generis, quia; ſcil. vnum producitur ab alio: dicitur, *viuentis*, quia terminus generationis debet ſẽper eſſe quid animatum *à principio viuente*, vt diſtinguatur ab alijs modis producendi. *In ſimilitudinem naturæ*, ſcilicet in eadem ſpecie, & hoc quidem in vi naturali talis actionis vitalis: vndè Eua non dicitur generata ab Adamo, licèt ipſius productio fuerit proceſſio viuentis a principio &c. quia, non in vi talis actionis vitalis naturaliter eſt producta.

Quæres 2. In quo ſubiectetur potentia generatiua. R. In ſemine, & ſanguine materno, vndè ſic definitur ſemen, ſcil. *corpus quoddam ſpirituoſum, & calidum immediatè conuertibile in fœtum*: dicitur autem concurrere ſanguis maternus, ad carnificandum ſcil. & nutriendum fœtum, licèt & ipſa mater actiuè concurrat: de quo quæſt. 4.

Quæres 3. In quo genere cauſæ concurrat ſemen ad fœtum. R. Concurrere in genere cauſæ efficientis ſimul, & materialis: in genere quidem cauſæ efficiẽtis; quippè quod ex propria diſpoſitione, & vi ingenita ſibi operatur, & materialis, quia eſt id, ex quo conflatur maſſa fœtus, nec, vt putauit Ariſt. 1. de generat. an. mal. cap. 16. ſemen, vbi ſuum vſum præſtitit, ex vtero exit, & in flatum reſoluitur, ita enim tempore grauiditatis vterus clauditur, vt ne minimo quidem corpuſculo tranſitus pateat, vti experientia in fœminis grauidis teſtatur.

Quæ-

Quæres 4. An Semen maternum actiuè concurrat ad generationem. R. Cardo difficultatis eſt, an ſemen maternum ſolùm concurrat, vt cauſa materialis, an etiam vt efficiens: magna eſt controuerſia inter grauiſſimos Philoſophos: Ego puto in vtroque genere concurrere, vti & paternum, & probatur eodem medio, quo ſuprà de ſemine paterno, vnde videmus, quòd, ſi duo animalia diuerſæ ſpeciei coeant, non ſemper eſt fœtus eiuſdem ſpeciei cum patre, ſed ſæpè cum matre, & ſæpè cum neutro, quod certè contingere non poſſet, ſi mater ſe, vt pura materialis cauſa haberet, quæ indifferens eſt ad ſpeciem effectus. Vide Delrio diſquiſit. Magicar. lib. 2. quæſt. 14.

Dices. Vbi duo inuicem componuntur, & commiſcentur vnum habet ſe actiuè, & alterum paſſiuè; quia vnum perficitur ab altero. R. Hoc ſenſu verum eſſe, quòd ſemen maternum ſit paſſiuum, quia à virili perficitur, ſed hoc non eſt punctum difficultatis.

Quæres 5. An ſemen ſit animatum. R. Multi negant, quia viuens iuxta Ariſt. debet eſſe conſiſtens, cuius contrarium accidit in ſemine, Alij affirmant, & meritò, cùm enim impoſſibile ſit potentiam Animæ ſeparari ab Anima, neceſſariò, vbi eſt potentia generatiua, ibi eſt & Anima, ſed potentia generatiua eſt in ſemine, ergò & Anima: nec obſtat fluiditas ſeminis, requiritur enim conſiſtentia ex parte totius compoſiti, non ſingularum partium.

Dices. Si ſemen viueret, ſequeretur, quòd dum homo generat, eius Anima diuideretur,

quod eſt abſurdum; ſequela probatur: nam ſemen tunc diuidetur à reliquis partibus; ergo ſi in ſemine ſit Anima, etiam ipſa diuidetur. R. Negando ſequelam, ad cuius probationem, dico tunc Animam patris relinquere ſemen, quod immediatè, ac cum materno miſcetur, à materna etiam Anima occupatur, donec propriâ Animâ informetur.

Quæres 6. Ex quo fiat ſemen. R. Punctus difficultatis eſt, an ex ſuperfluo alimenti, an verò ex ſubſtantia generantis; quod, vt clariùs intelligas, nota cum Caietano 1. p. quæſt. 119. art. 2. alimentum dupliciter conſiderari, aut vt eſt aptum mutari in omnes partes, aut vt eſt actu mutatum in aliquam partem viuentis: & ſic dicitur eius ſubſtantia: negat, ergò S. Thomas l. c. eſſe de ſubſtantia generantis, ſed dicit eſſe de alimento, antequam in ſubſtantiam mutetur, & meritò, nam licèt probatio illius non placeat, quòd ſic ſemen eſſet paruum animal, tamen hoc aliundè colligo: videmus enim experientiâ Venerem maximè moueri eo tempore, quo perfecta eſt nutritio, vti de mane circa finem ſomni, quia ſcil. tunc, quod ſuperfluum eſt alimento viuentis, ceſſante nutritione parti generatiuæ applicatur.

Ad obiectiones quas proponit S. Thomas ex SS. PP. facilè reſpondetur: vndè illas hîc proponere, non eſt operæpretium.

Caput 5. De Generatione, ex Putri.

QVæres 1. Quid ſit generari ex Putri. R. Præter generatiuam potentiam viuen-

uentium alius eſt modus,quo aliqua viuentia imperfectiora producuntur, ſcil. ex putrefactione, & corruptione alterius rei: ſic generantur aliqui vermes, mures &c. vbi nota quædam eſſe,quæ ſolùm vitaliter generantur ex alterius ſemine; & dicuntur generari ex patre: vti homines, & alia animalia perfectiora, alia ex ſolo putri, vt quidam vermes, alia ex putri, & patre, vti mures, & ſimilia.

Dices. Cauſa debet eſſe nobilior ſuo effectu, ergo nihil generatur ex putri: conſequentia probatur: nam generata ex putri ſunt animata,nec tamen eorum cauſa eſt viuens,ergo eſſent nobiliora ſua cauſa. ℞. Cauſa in ſua cauſalitate eſt quidem nobilior effectu; ſed non ſemper in ſua entitate, ſimile dixi Tract. 2. quòd accidens poſſit cauſare ſubſtantiam.

Quæres 2. Quomodo fiat generatio ex putri. ℞. Ex materia humida putreſcente,quæ priùs calore rei putrefactæ perficiebatur, modóq; illo deſtitutâ à calore modico ſuperſtite concocta cum virtute Solis, & aliorum influentium educit ex ſinu materiæ formam viuentem, vndè reſultat compoſitum animatum, quod dicitur naſci ex putri, cauſa autem efficiens horum eſt Cœlum, & Sol vt dixi, quæ res erroris occaſionem multis præbuit ponendi Cœlum animatum putantibus inanimatum non poſſe dare vitam, ſed hoc gratis dicitur, vt patet ex ſolutione datâ ad obiectionem quæſiti præcedẽtis;nec enim terra viuit; & tamen ſine vllo præuio ſemine multas generat herbas viuẽtes: vti dicitur Gen.3.de terra *ſpinas, & tribulos germinabit*.

Quæres 3. Cur ex vno corpore putreſcente plura generentur. ℞. Senſus eſt cur v. g. cùm materia putreſcens ſit vna continua; plures vermes ex illa generẽtur, & non vnus: rationem aſſignat Picolomin. lib. de Ortis ex putri cap. 5. quia materia putreſcens diſſoluitur, & ex illa diſſolutione oritur multiplicitas genitorum: verùm, ſi rem penitiùs inſpiciamus, hoc non ſatisfacit, quæritur enim, vnde materia diſſoluatur, & ratio eſt quantitas materiæ, cùm enim diſpoſitio materiæ putreſcentis non ſit, niſi ad tale, vel tale determinatè viuens, quod non poteſt occupare tantam quantitatem, cùm eius detur maximum, & minimum, quid mirum, quòd materia diſcontinuetur, & plura generentur?

Quæres 4. An orta ex putri, & patre ſint eiuſdem ſpeciei. ℞. Senſus eſt an v. g. illa animalia, quæ oriuntur, tàm ex putri, quàm ex patre ſint omnia eiuſdem naturæ, vti Mus generatus ex putri cum mure generato per ſemen, & dico affirmatiuè cum communiori contra Multos & ratio eſt, tùm quia in vtroq; eaſdem experimur proprietates, tùm quia ſemen in illis concurrit ſolùm inſtrumentaliter.

Dices. Ariſt. lib. 1. de Generat. animalium ait: *quæ non ex putri, ſed ex coitus materia generantur, ea generant quidem, ſed genere diuerſum*. ℞ Ariſt. non intelexiſſe per ly *genere diuerſum* ſpecie diſtinctum, ſed accidentaliter tantùm ſecundùm ſexum: vndè ſubdit *quodq; gignitur, nec mas, nec femina eſt*.

Quæres 5. An præter dictos modos detur alius

alius productionis animatorum. ℞. Affirmatiue, producuntur enim quædam viuentia ex afflatu aeris, & influxu cœli, vbi non habetur materia putreſcens: talia ſunt, quæ generantur tempore veris ex rore, vt erucæ, ex folijs herbarum, & ſimilia, qui modus putri valdè affinis eſt.

Caput 6. De Anima ſenſitiua in genere.

QVæres 1. Quæ ſit Anima ſenſitiua. ℞. Secundus (vt dixi) gradus Animæ eſt ſenſitiuus, cùm enim ſuprà in Anima vegetatiua eas potentias, viderimus, quæ, vel ad conſeruationem indiuidui, vel ſpeciei ſpectant, nunc in Anima alias quaſdam potentias experimur; quibus, res extra ſe exiſtentes, apprehendit: & hic eſt gradus Animæ ſenſitiuæ.

Quæres 2. An Anima ſenſitiua ſit diuiſibilis. ℞. Senſus quæſiti eſt, an Anima ſenſitiua, v.g. bouis, leonis, &c. ſic ſit in toto corpore, vt eadem ipſa ſit tota in ſingulis partibus, vt infrà de Anima rationali oſtendam. Affirmant Thomiſtæ, Alij verò negant dicentes, eſſe diuiſibilem non extenſione propriá, ſed extenſione, & diuiſione ſubiecti, in quo recipitur; & rectè, quod probatur, tùm authoritate Ariſtotelis hic 2. tex. 20. vbi ait: in ſecta animalia diuiſa adhuc viuere, ideſt Animam habere: ergo eorum Animæ ſunt diuiſæ in partibus diuiſis: tùm quia, cùm iſta Anima ſit materialis educta de ſinu materiæ, educitur ſecundùm eſſe materiale, quod eſt quantum, nec demum ali-

qua ſufficiens ratio contrarium eorum eſt.

Dices. Anima eſt actus corporis phyſici organici: ergo falſa reſponſio, conſequentia probatur: quia ſi ſecundùm diuerſam ſui partem actuet partes corporis, cum ſingulæ ſunt homogeneæ, ipſa ſecundùm quod actuat homogenea tantùm, & non organica actuabit. R. Hæc definitio competit Animæ reſpectu totius viuentis, non ſingularum partum.

Quæres 3. Quot ſunt potentiæ Animæ ſenſitiuæ. R. Hæ tres, ſcil. ſenſitiua, appetitiua, & loco motiua: hic de priori, de alijs ſuo loco, eſt autem ſenſus *Potētia apprahenſiua rei externæ in certo organo*.

Quæres 4. Quot ſunt ſenſuum genera. R. Duo, internorum ſcil. & externorum: interni ſunt illi, quibus, res obiectæ in organo intrinſecùs latente percipiuntur, de quibus infrà, externi ſunt qui in exteriori organo contingunt, de quibus in præſenti.

Quæres 5. Quot ſunt ſenſus externi. R. Quinque. Viſus, Auditus, Guſtus, Olfactus, & Tactus.

Quæres 6. Quid ſit organum ſenſuum. R. Eſt certa pars corporis in quâ exercetur ſenſatio: vt oculus reſpectu viſionis, & ſic de reliquis.

Quæres 7. Quomodo ſenſus concurrat ad ſenſationem. R. Senſus eſt, an actiuè concurrat organum ſenſus cum Anima aliquid efficiendo, an ſolùm paſſiuè recipiendo in ſe obiectum, vtriq; parti fauent auctores; Ego primæ ſubſcribo, tùm quia multa recipiunt obiecta ſenſibilia, quæ tamen non ſentiunt

vti patet in aere, qui recipit ſpeciem ſoni, & tamen non audit, tùm quia ſenſatio eſt actio immanēs, ergo efficitur ab organo, in quo eſt.

Dices. Receptâ ſpecie in organo, fit ſenſatio, ergo ſenſatio nihil eſt aliud quem receptio ſpeciei, atqui receptio ſpeciei eſt mera paſſio, ergo &c. ℞. Negando primam cōſequentiam; argumentor enim eâdem ratione: appoſito igne ad combuſtibile, fit cōbuſtio, ergo combuſtio nihil eſt aliud, quàm paſſiua appoſitio ignis ad combuſtibile, neganda eſt conſequentia; nam ad talem appoſitionem ſequitur actio ignis, & ad talem receptionem ſequitur ſenſationis actio.

Quæres 8. Quid ſit ſpecies ſenſibilis. ℞. Eſt *viua rei ſenſibilis imago in ſenſu*: pro cuius intelligentia, nota, inter potentiam, & obiectum duas requiri cōditiones, adhoc, vt fiat actus. Prima eſt proportio, ſic ſcil. vt obiectum ſit potentiæ proportionatum. Secunda eſt, præſentia, vt ſcil. obiectum ſit præſens potentiæ: hinc, cùm res aliquæ ſint potentiæ ſenſitiuæ improportionatæ; requiruntur aliquæ ſpecies, per quas proportionentur, vel ſi ſint abſentes, per quas reddantur præſentes. Eſt autem duplex ſpecies, ſcil. impreſſa, & expreſſa. Impreſſa, eſt illa imago, quæ ſenſui imprimitur ad hoc vt ſēntiat, & præcedit naturâ ſenſationem: expreſſa eſt terminus ſenſationis, cùm enim ſenſatio ſit aliqua actio, neceſſariò debet ferri in aliquem terminum; iſte autem terminus nihil aliud eſt, quàm imago rei ſenſatæ remanens in organo poſt ſenſationem, & dicitur ſpecies expreſſa.

Quæres 9. An Species actiuè concurrat ad ſenſationem. R. Affirmatiuè,& probatur ex hoc ſecundo,tex. 14 vbi ait Stagirita *idem eſt actus ſenſibilis, & ſenſitiui*: id eſt eadem eſt actio ſenſationis facta ab obiecto ſenſibili, vel per ſe, vel per ſpeciem, & ſenſitiuo, ſcil. potentiâ ſenſitiuâ.

Dices. Si hoc verum; ſequeretur, quòd ſpecies ſentiret, quod eſt abſurdum. Sequela prob. nàm illud ſentit, in quo eſt ſenſatio, ſed ſenſatio eſt in ſpecie, ergo ſentit.Min. prob. nàm ſenſatio eſt actio immanens,ergo eſt in eo à quo fit, ſed fit à ſpecie, ergo eſt in ſpecie, ergo ſpecies ſentit. R. Negando primam ſequelam: ad cuius probationem, nego minorem, ad cuius probationem, nego conſequentiam, nec enim actio immanẽs eſt in omni eo, à quo fit: ſed fit ab eo, in quo eſt.

Quæres 10. Quid, & quotuplex eſt ſenſibile. R. Obiectum ſenſibile eſt *id,quod attingitur à ſenſu*. Eſt autem duplex per ſe, & per accidens: illud eſt ſenſibile per ſe, quod ſub tali præcisè ratione formali à ſenſu attingitur, vt color reſpectu viſus: per accidens è contrà; eſt quod ſub alia ratione attingitur, vt ſubſtantia quæ non videtur, niſi ſub ratione colorati. Alio modo diuiditur in ſenſibile cõmune,& proprium:proprium eſt quod pertinet ad vnum tantùm ſenſum, vti color, lux, ſonus, &c. Commune eſt, quod ad plures ſenſus ſpectat,vti rotundum, acutum, &c. videmus enim hæc ſimul, & tangimus.

Quæres 11. An Senſibile commune im-

mutet ſenſum per propriam ſpeciem R. Senſus eſt, an v. g. rotunditas obijciatur ſenſui per propriam ſpeciem, an verò per ſpeciem obiecti proprij, vti colorati reſpectu viſus? & dico repræſentare ſe per propriam ſpeciem: nam rotundum, & quadratum ſæpè in ratione colorati, non diſtinguuntur: ergo ſi tantùm per ſpeciem colorati obijcientur ſẽſus non diſtinguet inter vtrumq; quod patet eſſe falſum.

Dices. Ipſorum ſpecies eſt communis pluribus ſenſibus; ergo non poteſt determinare vnum ſenſum. R. Diſtinguo conſequens; immediatè, concedo; mediatè, nego.

Quæres 12. An Senſibile poſitum ſupra ſẽſum faciat ſenſationem. R. Opinio negatiua iam ita inualuit; vt ferè axiomatis inſtar habeatur: præcipuè propter auctoritatem Ariſt. hic 2. tex. 75. Verùm, præciſà auctoritate, mihi placet oppoſitum: & ratio eſt: quia, ſi id inducti uè indagemus, contrarium ipſo facto experimur. Si enim quis pungat immediatè organum tactus, manifeſtè id ſentietur, quodcumq; illud ſtatuatur, ita lumen, quod habet eſſe reale in medio, vt infrà probabo, immediatè attingit oculum &c.

Dices. Si quis immediatè ponat obiectum viſibile ſupra oculum, nihil videbit, ergo &c. R. Hoc fieri ob defectum luminis, cùm enim obiectum eſt applicatum oculo ex parte, quâ applicatum eſt, non recipit lumen.

Quæres 13. Quomodò excellens ſenſibile lædat ſenſum. R. Experientiâ conſtat de facto lædere, vnde fit, vt nemo irretorto oculo

lo ſolem intueatur. Quomodò autem id fiat, Aliqui id referũt in obiectum per ſe, Alij in improportionem, & rectè, nec enim obiectum per ſe habet lædere potentiam, ſed perficere; ergo ratio refundenda eſt in improportionatum exceſſum.

Quæres 14. An ſenſibile debeat eſſe præſens ſenſui ad eliciendam ſenſationem. R. Circa hoc aliqui putant, nec per Deum poſſe abſens ſenſibile ſentiri, Alij naturaliter poſſe putant: communis ſententia diſtinguit, & naturaliter negat, & ſupernaturaliter concedit, & eſt probabiliſſima: & ſic probatur. Primò, contra ſecundam; nam in hoc diſtinguitur intellectus à ſenſu, quod ille in abſentia, & præſentia, hic autem in præſentia ſola feratur. Quòd autem per Deum fieri poſſit, patet ex eo, quòd nulla eſt implicantia: ſi enim Deus poſſit conſeruare ſpeciem rei ſine ipſa re, cur non poterit illam ſine re ſenſui repræſentare.

Dices. Pro ſecunda ſententia: videmus de factó ſtellas, in cœlo, quæ tamen ſunt maximè diſtantes, & abſentes à Nobis, ergo &c. R. Per abſens hic non intelligitur obiectum diſtans, ſed in eo ſtatu, vbi mediat obſtaculum, vti ſi opponeretur corpus opacum inter ſtellas, & oculum: quia alias Nobis ſunt virtualiter præſentes.

Quæres 15. An ſenſatio ſit productiua termini. R. Dixi ſuprà produci ſpeciem expreſſam quæſt. 8. & probaui: difficultas eſt ob locum Ariſt. 2. metaph. cap. 9. vbi dicit; quòd actiones immanentes non habent terminare aliquod opus, ſed hoc intellige de

opere

opere externo,non interno, & proportionabo ipſi actioni.

Quęres 16. An Senſus reflectat ſupra propriam ſenſationem. ℞. Status quæſtionis eſt ;an oculus, e.g. videat ſe videre, dico negatiue, & probo quia nulla potentia fertur extra proprium obiectum, ſed viſio eſt extrà obiectum viſus, ergo &c. Min. prob. nam obiectum viſus eſt lucidum coloratum, ſed hoc non competit viſioni, ergo &c.

Dices. Quiuis experitur ſe videre, vt patet in praxi, dum dico me videre Petrum &c. ℞. Quemuis experiri ſe videre, ſed hoc non fit per ſenſum viſus, ſed per intellectum, vel ſenſum internum.

Quæres 17. An ſenſus poſſit falli circa proprium obiectum; ℞. Hanc falſitatem non intelligi, quaſi quòd ſenſus attribuat aliquid obiecto, quod ipſi non conuenit, vel detrahat, quod ipſi competit: quia hæc eſt compoſitio, ſecunda intellectus operatio, ſed ſermo eſt de conformitate obiecti cum actu ſenſationis, an ſcil. appræhenſio ſenſitiua ſit conformis obiecto ſenſibili: nec ſermo eſt de obiecto in cõmuni, ſiue ſit proprium, ſiue commune, ſed in particulari, quia in communi nullæ potentiæ errant circa obiecta, benè autem in particulari, vti contingit in ſenſu, quia ſic oculus videt in aqua baculum veluti fractum, qui tamen in ſe integer eſt: hoc tamen fit ob defectum conditionis requiſitę, ſcilicet medij improportionati.

Quæres 18. An in homine perfectiores ſint ſenſus externi, quàm in alijs animalibus ℞. Cir-

℞. Circumfertur ordinario hoc diſtichon ad propoſitum.

Nos Aper Auditu, Sphynx Viſu Simia Guſtu,
Vultur Odoratu, præcellit Aranea Tactu.

Verùm Ariſtoteli, & rationi magis conſentaneum videtur ſenſum Tactus & Guſtus eſſe perfectiorem in homine, quàm in alijs animalibus, hic 2. tex. 94. quia iſti ſenſus perfectiores, vel imperfectiores ſunt ex perfectiori, vel imperfectiori temperamento primarum qualitatum, modò in homine eſt perfectiſſimum temperamentum.

Reliqua, quæ de ſpecie ſenſibili, & ſenſu agẽte reſtant dicenda, collige ex dicendis de ſpecie intelligibili, & intellectu agente, ſeruata proportione.

Caput 7. De Senſu viſus.

QVæres 1. Quis ſit ſenſus Viſus. ℞. *Eſt ſenſus externus, quo, mediante oculo, aliqua apprehendimus.* Eius obiectum eſt lucidum coloratum, ſenſuum omnium eſt perfectiſſimus, & quaſi ſpeculum naturæ, in quo omnia obiecta repræſentantur.

Quæres 2. Quid ſit lumen. ℞. Diximus lucidum, ſeu luminoſum eſſe de ratione obiecti viſibilis hinc meritò quæritur, quid id ſit definitur autem Lumen *Actus perſpicui, ſeù diaphani, quatenùs perſpicuum*: eſt autem corpus perſpicuum illud, quod non impedit radios viſuales, vti aer, ad differentiam opaci, quod reflectit à ſe lumen, & à Viſu non penetratur. Dicitur autem *quatenùs perſpicuum eſt* reduplicatiuè; quia etiam calor, &

ſonus

ſonus &c. poſſunt eſſe actus perſpicui, ſed non quà tale eſt: quippè etiam in corporibus opacis reperiuntur.

Dices. Lumen etiam hæret in opaco, ergo non eſt actus &c. antec. prob. nam hæret in ſuperficie parietis, &c. & cōfirmatur, quia nihil videtur, niſi opacum, quod non contingeret, ſi in opaco non foret lumen. R. Licèt lumen hæreat in opaco, non tamen penetrat illius opacitatem, ſed hęret in ſuperficie, vndè non eſt actus eius, quatenùs opacum eſt, ſed quatenus contiguum eſt cum tranſparenti; ad confirmationem infrà patebit ſolutio.

Quæres 3 Quid ſit color. R. *Eſt qualitas motiua perſpicui ſecundùm actum*, quia nullum perſpicuum actu mouet potentiam viſiuam, niſi ſub ratione coloris veri, vel apparentis; veri quidem, vt eſt in ſublunaribus; apparentis verò, vt eſt in Sole &c. in quo, licèt non ſit verè color, tamen apparet.

Dices. Nullum perſpicuum vmquam mouet potentiam viſiuam, ergo malè dicitur, quod color ſit motiuus perſpicui ſecundum actum. R. Negando conſequentiam, nec enim per illa verba intelligitur, quòd ipſum perſpicuum actu mouet potētiam, ſed quòd opacum terminans illud perſpicuum mouet potentiam per ipſum perſpicuum, vndè dicitur ab Ariſtotele color eſſe *extremitas luminis*, ſeù terminus luminoſi, per quod actu mouet potentiam.

Quæres 4. Quomodo concurrat lumen ad viſionem. R. Senſus eſt, an concurrat neceſſariò illuminando medium, & obiectum, vel

vel ſolum obiectum, & dico neceſſariò tantùm concurrere ad illuminationem obiecti, quod patet experientia: vbi aliqua, quæ ex ſe lucida ſunt & lucem non communicant, putà, ligna putrida, & ſquamæ piſcium, videntur, medio omninò exiſtēte tenebroſo.

Dices. Lumen eſt actus perſpicui, & tranſparentis, atqui medium viſionis eſt tranſparens, ergo erit etiam illius actus. R. Concedo totum; nec enim nego, quòd lumen ex ſe habeat eſſe actum tranſparentis, ſed dico, quòd id ex parte viſionis non requiratur.

Quæres 5. In quo differat lumen à luce. R. In eo, quòd lux ſit forma inhærens in corpore, vnde fit lumen: lumen verò eſt effectus lucis productus in medio tranſparenti. Exēplum ſit in ſole: hic enim habet lucem, quâ non ab alio, ſed à ſe clarus eſt: aer verò eſt luminoſus, quia claritatem ab alio participat, ſcil. à ſole.

Quæres 6. An lumen ſit corpus. R. Ex definitione allata ſatis patet negatiua; nihilominùs, cùm Empedocles hoc contenderet: ipſum cum Ariſtotele refellimus: & ſic probatur: non datur penetratio corporum, ergò &c. antec. ſuppono, conſequentiam probo: ſi enim lumen ſit corpus, iam penetrat aliud corpus, puta aerem.

Quæres 7. An lumen ſit forma ſubſtantialis. R. Nonnulli affirmant, ſed oppoſitum patet ex definitione allata, & ſic probatur: ad amiſſionem formæ ſubſtantialis amittitur eſſe ſubſtantiale compoſiti, atqui ad amiſſionem luminis compoſitum luminoſum retinet ſuum eſſe ſubſtantiale, ergo &c. Secundò for-

forma ſubſtantialis non poteſt eſſe obiectum alicu us ſenſus, atqui lumen eſt obiectum ſenſus Viſus, ergo &c.

Quæres 8. An lumen ſit qualitas intentionalis. R. Senſus eſt an ſit ſolùm ſpecies, ſeu ſpiritual s repræſentatio lucis; ſicuti ſpecies in ſpeculo, vel ſpecies obiecta in oculo, vt voluit Auicenna: cuius fundamentum eſt, quia putat lumen per ſuam ſuperuenientiam redigere colores ad actum, nec dari in medio; ſed tantùm in ſuperficie opaci: vndè ait, luminis eſſe, conſiſtere in intentione ad colores, & lucem; ſed errat: ſic enim lumen nunquam eſſet actus perſpicui, quia ſolùm hereret in opaco, ſecundò, & eſt ratio vrgentiſſima S. Thomæ 1. p. quæſt. 67. art. 3. qualitas intentionalis non habet effectus reales, atqui lumen habet effectus reales, ergo &c. maior ſupponitur, minor probatur: calefacit enim, & exſiccat vt experientiâ patet, qui ſunt veri effectus reales: ad rationem Auicennæ dico: quòd tota neganda eſt quamuis Caiet. ibid. & Alij dicant, ob rationes ab vtroq; allegatas: eſſe partim intentionalem, & partim realem qualitatem.

Quæres 9. Quid ſit lumen primarium, & ſecundarium, & quomodo ſe habeant ad inuicem. R. Lumen primarium dicitur, quod directè, vel reflexè à lucido corpore producitur. Secundarium verò, quod lateraliter extra rectitudinem radiorum producitur, vt contingit in vmbra; nec enim vmbra excludit omne lumen, ſed eſt minus lumen.

Quæres 10. Quod ſit organum Viſus. R. Hìc præſupponenda eſſet mira oculi con-

ſtru-

ſtructio, quæ, cùm ad Medicos potiùs, quàm Animaſticos ſpectet; ea tantùm, quæ ſcitu maximè ſunt neceſſaria delibabo. Itaque ſciendum eſt dari duos neruos opticos, ſeù viſorios, deſcendentes à cerebro, qui, poſtquam in medio ſuprà oculum vniuntur; iterum ſe diuidunt, & ad vtrumq; oculum deſcendunt, atq; hi nerui deferunt ſpecies rerum viſarum ad ſenſum communem, & ſpiritus animales ad oculum, qui oculus ſeptem muſculis, quinque tunicis, & tribus humoribus conſtat: quorum omnium medius eſt humor criſtallinus dictus, qui iuxta Galenum, & Ariſtotelem cum communiori ſententia, eſt organum immediatum Viſus contra Aliquos, quia Natura illud tot alijs circumſtantibus vallauit humoribus, vt ſolet de alijs organis ſollicita eſſe.

Dices. Si Viſio fiat in humore criſtallino, & non in neruis opticis; quomodo ſaluatur vnitas viſionis in duobus oculis? R. Pro huius obiectionis ſolutione, nota, nonnullos, ad hoc, vt ſaluarent vnitatem viſionis in duobus oculis dixiſſe, Viſionem fieri in ea parte neruorum opticorum, vbi ambo vniũtur: ſed hæc ratio nihil vrget, tùm quia in alijs ſenſibus eadem difficultas reſurget: quomodò v. g. in duabus auribus ſaluetur vnitas auditionis, tùm quia ad vnitatem viſionis ſufficit vnitas animæ cum vnitate obiecti, & eâdem propoſitione ad vtrumq; organum, vndè videmus multiplicari viſiones, ſi hæc proportio mutetur, vt ſi vnus oculus deprimatur, vel eleuetur altero immutato; cuius ratio reddi nequiret, ſi in neruis opticis cõ-
tin-

tingeret, tùm quia demum in aliquibus, etiam optimi viſus hominibus, nerui optici non vniuntur; vt teſtatur noſter Veſalius, & Alij Anathomici ipſum ſecuti.

Quæres 11. An Viſio fiat per extramiſſionem, vel intra ſuſceptionem. R. Senſus eſt, an (vti voluit Plato) ex oculis emittantur radij ad obiectum viſibile, ad quod, cùm peruenerint, reuertuntur ad oculum, & fit Viſio? Negat tota Peripateticorum ſcola cum Ariſtotele, quæ opinio quidem probatione alterâ non egeret, quàm communi omnium conſenſu; niſi & ratio militaret: quorsùm enim ponere illos radios ex oculo exeuntes, ſi ſine ipſis ſaluatur Viſio, & æquè benè, & vnde tanta vis in minutiſſima pupilla emittendi ſuos radios per immenſum ferè ſpacium vſque ad cœlum? hinc quidem de facto videmus in oculo rei viſæ ſpecies, ſed nullum extramiſsorum radiorum experimur effectum.

Caput 8. De Senſu Auditus.

Quæres 1. Quis ſit ſenſus Auditus. R. *Eſt ſenſus exterior auris beneficio ſonum percipiens*, vndè patet organum eſſe aurem, ob iectum verò ſonum.

Quæres 2. Quid ſit ſonus. R. *Eſt colliſio corporis fluidi intercepti inter duo corpora ſolida multùm aerei participantia*, quòd ſi vitaliter fiat ex colliſione aeris ad aſperam arteriam, dicitur vox, quòd ſi vlterius articulatè fiat, dicitur locutio.

Dices. Aer producit ſonum, ex dictis, cùm

alli-

alliditur aſperæ arteriæ, vt etiam venti moti in aere, & tamen ibi non ſunt duo corpora ſolida. R. Illa corpora ſolida per ſe non requiri; ſed ſufficere quomodocumq; collidatur, ſed ſic dictum eſt, quia ſic maior editur ſonus, & perfectior.

Quæres 3. An ſonus ſit qualitas intentionalis. R. Affirmatiuè, & patet ex eo quòd nec effectum realem habeat, nec ſubiectum vllatenùs realiter denominet; ſed ſolùm connotat colliſionem corporum.

Quæres 4. Quod ſit organum Auditus. R. Conſtat ex dictis pro completo exercitio auditionis, totam aurem concurrere, vt & totus oculus ad viſionem. Nunc in particulari quæritur, in quo perficiatur actus auditionis, & dubium eſt, an in aere inſito, an in neruo expanſo: pro quo breuiter notanda eſt auris ſtructura, quæ eſt huiuſmodi: inter auris anfractus datur aliqua membrana extenſa per modum timpani, ſuſtentata tribus oſſibus, & affixa cuidam neruo, qui terminatur in cerebro, per quem ad aures ex cerebro ſpiritus ſenſorij, & ab aure ad cerebrum ſpecies ſenſatę deferuntur; ſub hac autem membrana concluſus eſt aliquis aer, qui innatus dicitur, atq; in hâc aere Plurimi putant fieri auditionem: verùm probabilior membranam pro organo ſtatuit, ac primò probatur: à refutatione illius aeris, nec enim cenſendus eſt viuere, cùm fluidiſſimus ſit, omne autem viuens dicat aliqualem conſiſtentiam, vt ſuprà de ſemine dixi, deinde aptiſſima videtur, hæc ex paſſio timpani ad ſonum recipiendum, cùm extenſa maximè ſint ſonora.

Di-

Dices. Ad quid ergo ille aer? vt quid naturа enim tam proinde vallauit? R. Licèt quidem non ſit organum Auditus, eſt tamen auditui valdè neceſſarius ab rationem allegatam in probatione, quia ad iſtam extenſionem requiritur aer ſuppoſitus.

Quæres 5. Quis ſit ille ſonus quem ad moto digito, vel alio corpore ad aurem audimus. R. Cauſari ex motione aeris intermedij inter digitum, & timpanum, qui, cùm occluſus ſit, iuxtà naturam agitatur, & timpanum mouet.

Quæres 6. Quid ſit Echo. R. Eſt *repercuſsio ſonus à corpore ſolido*, vndè potiſſimùm fit in locis occluſis, vbi ſonus facilè nequit tranſire.

Caput 9. De Senſu odoratus.

QVæres 1. Quis ſit ſenſus Odoratus. R. *eſt ſenſus exterior perceptiuus odorum mediante organo à natura diſpoſito.*

Quæres 2. Quid ſit Odor. R. Putant nonnulli eſſe certam exhalationem, ſed perperam, obiectum enim ſenſus debet eſſe accidens; exhalatio verò manifeſtè eſt ſubſtantia, vndè rectè definitur. *Qualitas ſecunda orta ex mixtione primarum qualitatum prędominante calido, & ſicco.* Vndè maxime impeditur ab humido, & frigido, vt patet experientiâ, quòd de nocte minus vigent odores, quam de die, & hieme minùs quàm æſtate.

Qnæres 3. Quod ſit organum huius ſenſus. R. Sciendum eſt à cerebro vſque ad concauita-

uitates oculorum deduci duos veluti canales, qui terminantur in duas carunculas per modum extremitatis mamillæ, vndè dicuntur carunculæ mamillares, quibus ſuccedit caro quædam ſpongioſa, quæ aſpiratione dilatatur, & retentione halitus clauditur: hinc ducunt initium nares, per quos varij neruuli ſparguntur. His viſis putant Aliqui organum odoratus eſſe in illis neruulis, ſed perperàm, nàm tunc, quoties odor hos neruos contingeret, fieret Olfactio, quod tamen eſt contra experientiam, quia nemo olfacit, niſi reſpiret. Alij ergò in iſtis canalibus organa Olfactus ſtatuunt; ſed malè, quia hi continentur in cerebro, cerebrum autem eſt frigidiſſimum, & humidiſſimum, & conſequenter non poteſt eſſe organum Odoratus, cùm odor ſit calidus, & ſiccus: remanet ergò, vt excluſis reliquis, olfactus organum in carunculis mamillaribus ponatur.

Quæres 4. An odor attingat organum per ſpeciem. ℞. Fieri per ipſum obiectum realiter; manifeſtum enim eſt odorem eſſe qualitatem inficientem, & denominantem realiter aerem medium; & ſæpe illius effectus reales experimur, vndè nonnulli ex peſtifero odore, vel fætore moriuntur, putãt tamen Nonnulli hoc verificari in loco vicino ſad ipſum obiectum odoroſum, ſed non omninò diſtanti, quia improbabile putant, ita realem iſtam qualitatem ex paruo ſæpe obiecto poſſe tàm latè diffundi, ita Titelmanus: ſed hoc non placet, nec enim ſufficiens videtur fundamentum; præcipuè cùm videatur ſemper diminui, quod contingit, quia, quò magis ex-

ten-

tenditur, eò plùs debilitatur, nec etiam ex paruo obiecto multùm dilatatur, vt contendit.

Dices. Si ex corpore odoroſo realiter egrederetur odor, iam corpus citò amitteret omnem odorem. ℞. Concedo totum, niſi aliundè, vel ex intrinſecâ naturâ obiecti reſtauretur, vndè videmus proceſſu temporis aquas odoriferas, & alia huiuſmodi odorem deperdere, & hoc ipſum pro nobis militat, vndè meliùs retorquetur argumentum.

Caput 10. De Senſu Guſtus.

Quæres 1. Quid ſit Guſtus. ℞. *Eſt ſenſus exterior, quo animal mediante organo diſpoſito ſapores percipit.*

Quæres 2. Quid ſit Sapor. ℞. *Eſt qualitas ſecunda, orta ex commixtione humoris aquei, & ſicci terrei, prædominante tamen calore, & humiditate, ſeptemq;* ordinariò eius aſſignantur ſpecies: amarũ ſcil. & dulcem, ſalſum, acrem, acerbum, acidum, & acutum, & ſi qui ſint alij, ad aliquem horum reducuntur: ex his autem primam cõtrarietatem ſtatuunt amarus, & dulcis, reliqui diſparati videntur.

Dices. Quomodo in ſapore prædominatur humidum, & calidum, cùm aliqua ſaporoſa ſint ſummè ſicca, vti piper, alia valde frigida, vt eſt in Sapore acido. ℞. Hæc obiectio dedit Aliquibus fundamentum negandi definitionem allatam, & dicendi ſaporem, vt & odorem eſſe qualitatem ortam ex rei cuiuslibet natura, veluti proprietatem nihilominùs dico; licèt ex ſe non ſint talia; ta-

M men,

men, vt veram rationem ſaporis ſubeant, requiritur formaliter prædominari humidum, & calidum: hinc non guſtamus piper, niſi humectetur à ſaliua, & frigida parum guſtamus, niſi calefiant in organo, inde in ipſo organo quodammodò perficiuntur in eſſe ſapido.

Quæres 3. Quod ſit organum Guſtus. R. *Eſſe neruos duos, qui à cerebro vſque ad cuſpidem linguæ ducuntur.* Ita communiter Omnes: vndè etiam videmus, quòd in cuſpide linguæ maximè vigeat hic ſenſus.

Quæres 4. An Guſtus attingat obiectum per ſpeciem. R. Negatiuè, & experientià patet; niſi enim per ſe realiter applicetur organo, nulla fit guſtatio.

Quæres 5. An Guſtus differat ſpecie à tactu. R. Ratio dubitandi eſt, quia Ariſt. varijs in locis ait Guſtus quidam tactus eſt, dico nihilominùs, quòd eſt verus ſenſus diſtinctus à tactu; ad Ariſtotelem dico: eum hoc dixiſſe, quia non fit guſtus ſine tactu.

Caput 11. De ſenſu Tactus.

QVæres 1. Quid ſit Tactus. R. *Eſt ſenſus exterior, quo qualitates tactibiles percipimus*: patebit ex ſequentibus.

Quæres 2. Quid ſit obiectum Tactus. R. Eſſe qualitates primas, & reliquas, quæ ex harum vnione reſultant, quas enumerat Ariſt. 2. de Gen. & Cor. tex. 8. his verbis *ſunt autem contrarietates ſecundùm tactum hæ calidum, & frigidum, ſiccum, & humidum, graue, & leue, durum, & molle, lubricum, & aridum, aſpe-*

aſperum, & lene, graſſum, & tenue, & reliqua, quæ huiuſmodi ſunt, quæ alibi enumerat, vt acutum obtuſum, rarum, & denſum, quæ tamen omnia non ſunt ita propria tactus; quin & alijs ſenſibus ſint communia.

Quæres 3. An tactus ſit vnus ſenſus ℞. Vna potentia (inquit Phil. 2. de Anima) eſt vnius obiecti: hinc oritur difficultas, an Tactus ſit vnus ſenſus, cùm non vnum, ſed plura iam enumerata reſpiciat obiecta, præter varios quoq; modos tangendi, quos vel in nobis experimur, & profectò non mediocriter vexauit Authorum ingenia, qui multa quidem excogitauere, ſed parum rem aſſecuti videntur Aliqui ergò hæc omnia ad vnam rationem communem reducere conantes dixere hanc eſſe qualitatem quamdam innominatam cõſequentem immediatè corpus, ſed non placet; hæc enim qualitas ſequeretur omne corpus, nec tamen omne corpus tangitur, vt oſtendam quæſt. 5. Alij ergo dixere eſſe immutationem complexionis primarum qualitatum, ſed hoc non verificatur dum tango obiectum mihi contiguum eiuſdem temperamenti cum potentia. Alij ſtatuunt alia; ſed nihil ſatisfacere videtur, vndè Alij coacti fuere fateri Tactum non vnum ſed duos eſſe ſenſus: & vnum eſſe obiectorum internorum, alium externorum, pro externis qualitates primas aſſignant, pro internis internas paſſiones, vti famem, ſitim &c. mihi hæc vltima ſententia partim arridet, partim diſplicet, conuenio quidem in multiplicatione ſpecifica Tactuum, in modo diſconuenio. Dico ergò ſenſum Tactus non vnicum, ſed dupli-

duplicem eſſe, alium,quo tàm obiecta inter-na, quàm externa ſentimus, & eſt tempera-mentum primarum qualitatum, & quidquid ſequitur ad illud, alium,quo ſola externa ap-prehendimus,cuius obiectum eſt contiguitàs corporis, ac primò,quòd hæc ambo tangan-tur ; nullum animal inficiabitur, quòd verò non vnum, ſed duos ſtatuant ſenſus,patet in-de,quòd non ſint reducibiles ad vnam ratio-nem communem ; quòd verò ſufficiat dupli-citas Tactuum patet ex ſufficienti partium enumeratione : vel enim fit externè, vel in-ternè, & ecce vtrumq; vtriuſq; Tactus obie-ctum.

Quæres 4. Quid ſit organum tactus. R. Valdè diſcrepant circa hoc Authores. Alij enim carnem, Alij neruos, Alij cutem, Alij fibras,& membranas ſtatuunt.Ego puto hæc omnia eſſe, contra pleroſq; præſertim Me-dicos ; & probatur : illud dicitur organum Tactus in quo actus illius elicitur,atqui actus eius in his omnibus elicitur,ergo hęc omnia ſunt organum tactus: mai. eſt certa, min. vel experientia conſtat. Sed aiunt vnum tantùm eſſe organum, quia in vno fit principaliter actus, in alijs verò per communicationem; ſed hoc gratis aſſeritur ; quodcumq; enim ipſi ſtatuunt organum ſentire per ſe,quęram, cur hoc potiùs, quàm aliud ſentiat per ſe.

Quæres 5. An obiectum ęqualis tempera-menti cum potentia ſentiatur. R. Difficul-tas eſt de primo modo tangendi,ex aſſignatis quæſt.3. & ſenſus eſt, an v. g. organum cali-dum ad 5. & ſiccum ad 3. ſentiat obiectum eiuſdem temperamenti, & dico negatiuè, vt

patet

Digitized by Google

patet experiẽtiâ, nec enim ſentimus aquam tepidam, & ratio eſt, quia obiectum debet immutare potentiam, atqui æquale non immutatur ab æquali, ergo &c. hoc valet de tactu temperamenti, nam poteſt ad huc immutari per tactum contiguitatis in tal caſu. Nota hunc ſenſum, vti & guſtum conuenire omni animali per totam vitam, vt experientiâ videmus: alij verò ſenſus ſo'ùm animalibus perfectioribus conueniunt, hinc Talpæ non vident; vermes nec vident ſæpè, nec audiunt, nec olfaciunt; omnia verò ſemper & guſtant, & tangunt.

Caput 12. De Senſibus interioribus.

QVid ſit ſenſus interior ſupra dixi cap. 7. quæſt. 2. dariq; ſupponendum eſt, tùm ratione, tùm experientiâ: hinc videmus bruta meminiſſe &c. pro quorum intelligentia.

Quæres 1. Quot ſint ſenſus interiores. ℞. Communiter aſſignari quinque, qui ſunt Sẽſus Communis, cuius munus eſt accipere omnes ſpecies à ſenſibus externis, & de illis iudicare, dum obiectum eſt præſens. Secundò Phantaſia, quæ ſpecies acceptas à Senſu Communi conſeruat, & de obiecto abſente, poſteà iudicat, vt contingit in ſomnio, tertiò ſuccedit Potentia Imaginatiua, quæ diuerſas ſpecies, ſic acceptas componit, & vnit, & format varias chimeras, quartò Æſtimatiua, quæ ex rebus ſenſatis format res nondum ſenſatas, vti ouis dum videt lupum timet, & format aliquam ſpeciem inſenſa-

tam, quintò Memoria, non illa ſpiritualis, de qua infrà, ſed ſenſitiua, quam experimur in brutis, dum canis recordatur, quis ipſi benè, vel malè fecerit: hæc autem dari (vt dixi) vel experientia patet; quam Aliqui cogitatiuam, ſuperaddunt, eadem eſt cum Æſtimatiua. Reminiſcentia verò addit aliquid ſuprà memoriam, ſcil. combinationem præteritorum ſenſatorum ad indagationem alterius ſenſati, vt ſi ex eo, quòd Petrus ſomniet ſe fuiſſe in foro, & ibi fuiſſe cum Paulo, reminiſcitur colloquij habiti.

Quæres 2. An omnes hæ potentiæ diſtinguantur, & diuerſis organis exerceantur. ℞. Negatiuè, nam omnia illa munera obit vnica Potentia Intellectiua, ergo & vna Senſitiua. Secundò Memoria non poteſt recordari rei cogitatæ, niſi & ipſa cogitet, nec poteſt cogitare, niſi cognoſcat extrema, & illa cōponat, & cætera obeat, quæ deberent præſtare omnes reliquæ potentiæ, ergo &c.

Dices. Ad quid igitur iſtæ cellulæ in cerebro diſtinctæ? ℞. Nota aliquos omnibus his ſenſibus varia organa aſſignare ſecundùm diuiſionem cellularum cerebri, ſed hoc gratis aſſeritur, tùm quia non ſunt diſpoſitæ eo ordine, quo ipſi contendunt, ſic, vt pars anterior, ſit humidior poſteriori, & prior deſeruiat ad cogitatiuam, poſterior ad reminiſcitiuam, tùm quia data à tali diſpoſitione non vrget argumentum, quia hoc in alijs partibus animalium obſeruatur, nec tamen ad quid ſimile deſeruiunt.

Quæres 3. Quid ſit obiectum horum ſenſuum. ℞. Eſſe res ſenſatas per ſenſus exte-

riores: ita Ariſt. hic 2. tex. 36. & patet ex dictis.

Quæres 4. An ſenſus interni attingant obiectum per ſpeciem, & quomodo fiant. ℞. Affirmatiuè, patet vbi de nocte dormientium ſenſus exercent ſuas operationes in ſomnio: vbi nullum eſt obiectum realiter præſens: hæ autem ſpecies producuntur à ſpeciebus expreſſis ſenſuum externorum, quod ſic oſtendo inductione: appræhendit enim Senſus Communis viuam rei imaginem, in quam terminatur ſenſatio externa, vt dum video Petrum, terminatur hæc viſio neceſsariò in aliquem terminum, vti ſuprà oſtendi, qui terminus appræhenditur à ſenſu interiori; vndè in omnibus ſenſibus aſſignatur aliquod conducens ad cerebrum, nec ſenſus interni, læſis exterois, exercentur.

Quæres 5. Quod ſit organum horum ſenſuum. ℞. Eſt cerebrum, quòd patet ex eo, quòd cerebro læſo læduntur interni ſenſus, & horum exercitio multùm afficitur cerebrum.

Caput 13. De Somnio, Somno, & Vigilia.

Quæres 1. Quid ſit Somnus, & Vigilia. ℞. Somnus *eſt naturalis ceſſatio exercitÿ ſenſus communis, & omnium externorum*: Vigilia è contrà *Eſt aliquorum ex his exercitium*, dixi: *naturalis* vt innuerem, non quamlibet ceſſationem eſſe ſomnum; nam exanimes, etiam hoc exercitio deſtituuntur, nec tamen dormiunt.

Quæres 2. Quæ ſit cauſa ſomni. ℞. Du-

plicis generis ſunt cauſæ ad hoc concurrentes, proximæ ſcil. & remotæ: proxima *eſt obſtructio radicis cuiuslibet nerui ſenſorij*, qua impediuntur ſpiritus animales, ne ad ſenſus externos permeent; remotæ verò ſunt multæ, vti ſuperflua commeſtio, ebrietas, & ſimilia: fit enim ex his, vt vapores eleuentur ex ſtomaco, atque in cerebro impleant loca omnia, neruorumq; ſenſoriorum vias, & radices occupent, quæ aliàs ad ſenſationem neceſſariæ ſunt, vt ſpiritus ſenſorij ad organa perueniant, quibus hinc priuatum animal omni ſenſuum exercitio deſtituitur.

Quæres 3. Quæ ſit cauſa finalis Somni. R. Rerum omnium opifex Deus prouidaq; Natura videns, quòd ex continua actione caloris natiui in humidum radicale multum ex compoſito periret accidente exercitio continuo actionum vitalium, animalibus omnibus de quotidiano Somno prouidit, vt ſic ſpiritus vitales, & animales, & humidum radicale reſtauretur: vndè proprius Somniferis eſt, iuxta quem aliquando deſcribitur *virium deperditarum reſtauratio*.

Quæres 4. Quid ſit Somnium. R. Diximus Somnum eſſe ſenſuum externorum, & Senſus Communis ligationem: hinc ſæpè fit, vt his ligatis, aliquis ex interioribus ſoluatur, quod potiſſimum cōtingit poſt medium, & circa finem Somni, quando vapores eleuati cauſantes Somnium deficiunt, cùm enim hi, non tot vaporibus obſideantur, faciliùs quoque diſoluuntur, & in actum ſui exercitij prodeunt, & ecce Somnium.

Ca-

QVæres 1. Quid ſit Potentia Appetitiua R. Abſolutâ ſenſitiuâ, ad appetitiuam accedimus, quæ conſiſtit, vel in proſecutione boni, vel fuga mali.

Quæres 2. Quotuplex ſit appetitiua. R. Duplex, vel enim verſatur circa bonum facile, & in genere. & dicitur concupiſcibilis, vel circa arduum, vti ſunt vindictæ, pugnæ &c. & dicitur iraſcibilis; definitur autem ira *appetitus vindictæ in inimicum*, & fit in animali, dum efferuet ſanguis circa cor, ita Ariſt. hic 2. tex. 16.

Dices. Ira non poteſt eſſe appetitus, nihil enim appetimus, niſi bonum; ira autem eſt circà malum. R. Appetitus poſitiuè ſolùm ſe habet, erga bonum, concedo, negatiuè, & fugiendo, nego. Secundò licèt ira verſetur circa malum alterius, tamen hoc malum appræhendit, vt proprium bonum.

Quæres 3. Quod ſit organum appetitiuæ. R. Putant nonnulli moderni eſſe cerebrum ſed dico cum Ariſt. & Galeno eſſe cor, vti patet l. c. ſibi cum ſic definit. eſt *ebullitio ſanguinis circa cor*, præterea ipſo facto videmus in ira valdè affici cor.

Dices. Appetitus non fit, niſi præmouente ſenſu, atqui ſenſus eſt in cerebro, ergò & appetitus. R. Negando conſequentiam; poteſt enim ſenſus mouere per ſympathiam alias partes, etiam diſtantes, ſic phantaſia mouet venerem, quorum tamen organa maximè diſtant.

Quæres 4. Quæ ſit Potentia Locomotiua & eius organum? R. Cùm animal appetendo aliqua proſequatur, & aliqua fugiat, neceſſarium habet moueri localiter, vt noxia fugiat, & vtilia proſequatur, & in hoc conſiſtit Potentia Locomotiua, eius autem organum ſunt muſculi, quod colligitur ex eo, quòd muſculi huius exercitio valdè fatigentur.

Caput 15. De Anima Intellectiua in genere.

QVæres 1. Quæ ſit Anima intellectiua. R. *Eſt illa, quæ, præter potentias vegetales, & ſenſitiuas, alias ſpirituales exercet*, quibus res omnes ſpirituali quadam ratione appræhendit: huius autem tres ſunt potentiæ Intellectus, Voluntas, & Memoria, de quibus ſuo loco.

Quæres 2. An ſit ſpiritualis, vel materialis. R. Præter certiſſimam Eccleſiæ definitionem, quæ de fide eam eſſe ſpiritualem aſſerit: accedit ratio naturalis, hæc: illius potentiæ ſunt ſpirituales, ergo & ipſa; conſequentiam ſuppono, antec. prob. nam Intellectus, Voluntas, &c. agunt reluctante ſenſu, & omni materiali, vt in nobis experimur, ergo ſunt immateriales, quia materiale non agit reluctāte materiali, ſed iuxta exigentiam eiuſdem.

Quæres 3. An Anima rationalis ſit tota in toto, & tota in qualibet parte. R. Affirmatiuè, vt patet ex dictis: ſic enim arguo, Anima rationalis informat totum corpus, ſed non

non ſecundùm ſui partes, ergo ſecundùm ſe totam: ergo eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: maior patet, quia omnes partes viuunt, min. probatur: nam quod eſt ſpirituale eſt indiuiſibile: quod eſt indiuiſibile non habet partes, ergò Anima rationalis non habet partes, ergo vbicumque actuabit, actuabit ſecundùm ſe totam.

Dices. Multa hinc abſurda ſequuntur, ac primò idem mouebitur ſursùm, & deorsùm, puta ſi homo ſimul vnum brachiũ ſursùm, aliud deorsùm dirigat, ſecundò pars hominis erit homo, & vnus homo erit mille homines, quia in ſingulis partibus includitur materia prima actuata à tota Anima. Tertiò in ſciſſione mẽbri viuentis Anima diuideretur, & non diuideretur, diuideretur quidem, quia eſſet in membris diuiſis, & non diuideretur, quia eſt indiuiſibilis. Quartò omnes partes intelligerent, quia informantur à tota Anima rationali, quod tamen eſt manifeſtè falſum, quis enim dicat digitum, vel pedem intelligere. Quintò Animæ non competeret definitio Animæ, quod eſt abſurdum, & ſic probatur: nam, cum ſingulæ partes conſideratæ ſecundùm ſe non ſint organicæ, ſequeretur, quòd illã ſecundùm ſe totum actuando non eſſet actus organici. R. Nullum horum ſequi, ac primò ad primum dico, hoc nullam dicere implicantiam, quòd ſecundùm diuerſa exercitia eadem Anima tendat ſursùm; & deorsùm, ſic homo in naui tendente verſus Auſtrum poteſt ſe mouere ab vna parte nauis ad alteram verſus Septentrionem. Ad ſecundum, nego ſequelam, quia

ſingulæ partes non ſunt organizatæ: ad tertium dico; Anima non eſt dicenda diuiſa ad diuiſionem corporis, niſi extrinſecâ locatione: ad quartum non omnes partes intelligunt, quia ad intellectionem prærequiritur ſenſus: vndè ſecundùm ſubſtantiam quidem Anima eſt tota in toto &c. ſed non ſecundùm operationem: ad quintum nego ſequelam, quia hæc definitio eſt tradita in ordine ad totum compoſitum.

Ex dictis ſequitur Animam rationalem non educi ex ſinu materiæ, quia immaterialis eſt; ſed immediatè à Deo creari, dum corpori infunditur, & vltrà, quòd ſit immortalis, quia non habet aliquod principium corruptionis, nec obeſt, quod Eccleſ. 3. dicitur, quòd *vnus eſt interitus hominum, & iumentorum*, nam hoc intelligitur de toto compoſito, non de Animâ.

Caput 16. De Intellectu ſpeciatim.

Quæres 1. Quid ſit intellectus. ℞. Eſt potentia Animæ rationalis, quâ res omnes ſpirituali modo appræhendit, & cognoſcit, dico autem ſpirituali modo ad quamlibet aliam cognitionem ſenſitiuam excludendam, de quo ſuprà.

Quæres 2. Quod ſit obiectum Intellectus. ℞. Adæquatum obiectum eſſe omnem entitatem ſub ratione veri tranſcendentis, quæ veritas eſt ratio formalis illius obiecti, & patet ex eo, quòd, ſi quid velimus cognoſcere, oportet illud indagare, vti verè in ſe eſt, pro hoc tamen ſtatu à nobis nihil poteſt, co-

gno-

gnoſci, niſi ſenſibile, quia omnis noſtra cognitio dependet à ſenſu, vt.quæſt. ſeq.

Dices. Intellectus ſæpè intelligit falſa, ergo ratio formalis illius obiecti non eſt veritas. ℞. Illa, quæ ſunt falſa Intellectus cognoſcit verè eſſe falſa: vndè, & in his rationem veritatis inuenit, vt clariùs oſtendam in Metaph. tract. 3. cap. 2. quæſt. 2. quòd ſi quandoq; Intellectus erret, hoc eſt per accidens, nec mutat rationem obiecti.

Quæres 3. Quomodo Intellectus dependet à ſenſu. ℞. Quandoquidem omnis operatio, quam Anima exercet, non ſit ſolius Animæ, ſed totius compoſiti, ideo requirit non tantùm elici ſpirituali omninò modo, ſed ſecundùm quòd totum compoſitum concurrit: totum autem compoſitum non poteſt concurrere modo purè ſpirituali, quia tale non eſt, ergo omnis talis operatio, etiam dependet à principio materiali; fit autem hoc eo modo reſpectu Intellectus, vt ſibi ſpecies rerum adaptet, vt in ſequentibus clariùs; vndè extat hæc Maxima *nihil eſt in intellectu, quòd priùs non fuerit in ſenſu*, & experientia conſtat, quòd nec cæcus colores intelligat, nec ſurdus ſonum, quia ſenſibus illorum priuati ſunt.

Quæres 4. An Intellectus ſit potentia organica. ℞. Senſus eſt, an in aliquo determinato organo promat ſuam actionem, vt aliæ potentiæ. Et dico negatiuè, & ratio eſt, quia omnis potentia debet eſſe nudata ſuo obiecto, quia aliàs ab illo non poſſet immutari, atqui obiectum adæquatum intellectus, eſt omne ens, ergò debet eſſe nudatus omni ente:

te.: non autem eſſet, ſi afficeretur aliquo determinato organo, ergò &c.

Dices. Ex hoc ſequeretur, quòd nec ſeipſum poſſet intelligere, quia non eſt nuditus ſeipſo. R. Concedo totum, nec enim Intellectus pro hoc ſtatu, vel ſeipſum, vel aliquid aliud ſpirituale, vt tale, intelligit; intelliget autem, dum ſenſibus erit ſolutus poſt hanc vitam, quando obiectum ampliùs non immutat potentiam, quando eſt ſemper præſens, vt eſt ipſe ſibi, quia tunc immutat obiectum potentiam, quando ducit de potentia ad actum; tunc autem hoc non continget, quia Intellectus erit in continuo actu cognitionis ſui ipſius.

Dices 2. Læſo cerebro Intellectus non exercetur, ergo cerebrum eſt eius organum. R. Negando conſequentiam; hoc enim fit, quia læſus eſt ſenſus internus, à quo in exercitio intellectus dependet.

Quæres 5. Quomodo Intellectus intelligat. R. Senſus eſt, an per ſe attingat obiectum, an per ſpeciem, pro cuius captu, repete quod dixi ſuprà. Ad hoc vt potentia attingat obiectum, duo requiruntur, ſcil. proportio, & indiſtantia, communiter ergo contrà Nonnullos dicitur Intellectus intelligere per ſpeciem, quia obiectum ſenſibile eſt materiale, Intellectus autem ſpiritualis, vndè admittuntur ſpecies mediantibus quibus obiectum materiale Intellectui immaterialiter repræſentetur: Ego verò ſpecies quidem admitto, ſed alio fine: vt ſcil. obiectum ſpirituale, materiali modo repræſentetur; pro cuius intellectione pono duo fundamen-

ta,

ta, alterum, quòd Intellectus pro hoc ſtatu eſt aliquo modo materialis in exercitio, alterum, quòd omnis res intelligatur ſub ratione veri: hęc autem ratio veri eſt in omni ente, vt in Metaphyſica oſtendam, & eſt quid formaliter ſpirituale, etiam in ente materialiſſimo, & conſequenter Intellectus, ad hoc vt intelligat illud obiectum, cùm ipſe in exercitio ſit materialis, requirit ſpeciem materialem à ſenſu acceptam, quæ ipſi hoc obiectum materiale ad repræſentet, vndè Anima in ſtatu ſeparationis, & Angeli, cùm in exercitio ſunt purè ſpirituales, nullis indegent ſpeciebus, vt infrà in Metaphyſ. Tract. 7. cap. 3. quæſt. 1. hæc tamen dicta ſint præcisá authoritate communi ferè omnium Theologorum, & Philoſophorum, quamuis enim eorum ſententiam damnare non poſſim; magis mihi tamen arridet hic modus ſoluendi hanc quæſtionem.

Dices. Etiam eſt improportio inter voluntatem, & obiectum materiale, & tamen nullæ huic aſſignantur ſpecies, ergo &c. R. Eſſe rationem diſparem de voluntate, & alijs potentijs, quia aliæ potentiæ ſe vniunt obiecto, voluntas verò ſe tantùm inclinat in illud.

Quæres 6. Quomodò producuntur ſpecies intelligibiles. R. Putant Aliqui creari à Deo. Communis tamen opinio eſt, fieri ab intellectu ſimul concurrente phantaſmate; vnde diuidit Ariſt. hic 3. tex. 17. intellectum in agentem, ideſt, cuius eſt omnia facere, & repræſentare ſibi, & adaptare: & poſſibilem, ideſt, cuius eſt omnia fieri, qui ſcil. recipit ſpe-

ſpecies intelligibiles;& probatur primò per excluſionem prioris opinionis ; nec enim oportet recurrere ad Deum, vbi adſunt cauſæ creatæ aſſignabiles. Secundò explicatur ſimul, & probatur : dùm phantaſma recipit in ſe ſpeciem ſenſibilem , intellectus ex iſta ſibi format ſpeciem intelligibilem, non quidem ſpiritualizando (vt Alij volunt) ſed abſtrahendo ab omnimoda materialitate ſenſus ; cùm enim intellectus in ſe ſit ſpiritualis, & in exercitio partim materialis,non poteſt ſpecies merè materiales, & ſenſibiles recipere,ſed eas eleuat,& ſibi adaptat.

Quæres 7. Quomodò Intellectus intelligat ſingularia : R. Putant Themiſtius , & Philoponus Intellectum abſolutè non cognoſcere ſingularia . Alij quidem concedunt cognoſci , ſed non per propriam ſpeciem : ita D. Thom. 1. p. quæſt. 86. art. 1. quod in corpore ſic explicat. ſingularitas ſumitur à materia,Intellectus directè non attingit materiam , ergo nec ſingularitatem , quatenùs ſcil.ſumit ſuam ſpeciem à Phantaſmate materiali . Alij demùm , quibus aſſentior , docent ſingulare cognoſci per propriam ſpeciem : ita Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 3. & quòd Intellectus intelligat ſingulare, non videtur probatione dignum, quòd autem per propriam ſpeciem,ſic probo. Intellectus diſtinguit vnam rem ab alia: non niſi per propriam ſpeciem, quia in communibus non cognoſcitur,vt ſingulare, ergo &c. ad rationem D. Thomæ dico niti falſo fundamento, vt in Metaphyſica oſtēdam;non enim indiuiduatio ſumitur à materia ſignata, vt oſtēdam.

Di-

Dices. Cum S. Thoma l. c. ex 1. phyſ. tex. 49. quòd vniuerſale, ſecundùm rationem, ſit notum; ſingulare autem ſecundùm ſenſum. ℞. Hoc intelligi, quòd vniuerſale ſit notum ſecundùm rationem tantùm, at ſingulare, & ſecundùm rationem,& ſecundùm ſenſum.

Quæres 8. An vniuerſale ſit prius cognitum ſingulari. ℞. Omiſſis varijs ſententijs, pro hoc ſtatu, primò notum eſſe ſingulare, & ratio eſt, quia illud eſt primò cognitum, quod ab Intellectu primò percipitur; ſed hoc eſt ſingulare,ergo &c. minoris ratio eſt, quia Intellectus pro hoc ſtatu pendet à ſenſu,& conſequẽter,quòd priùs ſentitur etiam priùs intelligitur. Si autem de vniuerſalibus inter ſe comparatis loquamur, in cognitione diſtincta, quod eſt vniuerſalius, priùs cognoſcitur, quia illa cognitio ſequitur ordinem naturæ, atqui ordine naturæ prius eſt vniuerſalius, ergò & in cognitione: in cognitione confuſa notior eſt ſpecies ſpecialiſſima, vndè idiota videns Ioannem, prius cognoſcit illum eſſe hominem, quam animal.

Quæres 9. Quid ſit Verbum mentis. ℞. Neceſſaria eſt notitia huius pro cognitione generationis Verbi Diuini, circa quod repeto quod ſupra dixi, dari duplicem ſpeciem, aliam impreſſam, de qua hucuſque egimus, aliam expreſſam, quæ dicitur verbum mentis; atq; ambę in hoc conueniunt, quòd vtraque ſit viua imago rei in Intellectu,& in hoc differunt, quòd impreſſa præcedat cognitionem, imprimendo ſe intellectui, vt percipiat rem, cuius eſt ſpecies, at expreſſa ſequitur,

tur, & terminat cognitionem,cùm enim intellectus intelligendo rem, illam ſibi repræſentet,& exprimat,neceſſariò requiritur terminùs talis expreſſionis, quæ dicitur ſpecies expreſſa,ſeù Verbum mentis, quia eſt veluti Verbum, mediante quo intellectus ſibi loquitur, & exprimit rem intellectam.

Dices. Si daretur hæc ſpecies, ſequeretur quòd obiectum formetur à ſua potentia;cùm enim ſit aliquod ens, neceſſariò eſt obiectum intellectus,& hic ponitur ab intellectu formari. ℞. Obiectum duplex eſt,aliud motiuum, & aliud terminaturum tantùm; motiuum eſt, quod mouet potentiam, & eam à priori immutat, nec hoc poteſt à potentiâ formari terminatiuum eſt, quod ſolùm terminat actum illius, vt eſt ens rationis reſpectu intellectus, & hæc ſpecies.

Quæres 10. An intellectio cõſiſtat in Verbo formaliter. ℞. Varij variè ſentiunt Alij enim dicunt, quòd intellectio formaliter nihil ſit aliud, quàm Verbum mentis, Alij quòd eſt formatio illius, Alij dicunt,quòd vtrumq; formaliter contineat: circa quod placet ſecunda opinio, & probatur contra primam: quia intellectio eſt prior naturâ, quàm Verbum; ergo non ſunt idem formaliter: contrà tertiam ſic arguo; intellectio eſt operatio ſimplex formaliter, ergo non componitur formaliter ex Verbo, & productione Verbi: & confirmatur ab analogia Verbi vocalis; nec enim locutio eſt ſolum verbum quia verba ſecundùm Phil. 1. Periher. cap. 1. ſunt ſignificatiua rerum & conceptuũ, locutio verò ſolum ſignificat conceptus.

Ca-

Caput 17. De Memoria, & Voluntate.

QVæres 1. Quid ſit Memoria. ℞. *Eſt potentia conſeruatiua omnium ſpecierum rerum intellectarum*, nec formaliter ab intellectu diſtinguitur, quia intellectus dicitur præſentia cognoſcendo, & Memoria intellecta iterum intelligendo.

Quæres 2. Quid ſit Voluntas. ℞. *Eſt potentia Animæ rationalis, quâ liberè fertur; in bonum*, ſic, vt habitis omnibus requiſitis poſſit pro libitu ferri, & non ferri, & hæc formaliter ab intellectu diſtinguitur, quia diſtinctum habet obiectum, eſtq; intellectu nobilior, quia fertur in obiectum nobilius, ſcil. bonum, à quo omnis nobilitas obiectiua deſumitur.

Quæres 3. Quotuplices ſunt actus Voluntatis. ℞. Alios eſſe imperatos, alios elicitos. Eliciti dicuntur, qui in ſolà voluntate perficiuntur, vt diſſenſus, & conſenſus circa aliquod obiectum. Imperati ſunt, qui à voluntate imperantur, ſed in aliâ potentiâ perficiuntur, vt ſunt omnes actus externi liberi, puta ambulare, moueri &c. Atque hæc ſufficiant de Voluntate, & omnibus rebus phyſicis, quæ cedant ad Maiorem Dei, Deiparæque Virginis gloriam, & ſit.

FINIS LIB. DE ANIMA, ET PHYSICÆ.

ARI-

Digitized by Google

ARISTOTELICÆ DOCTRINÆ THEORICÆ

Pars Tertia.

Complectens vniuerſam Metaphyſicam.

Tractatus Primus.

De Procemialia Metaphyſica.

QVæres 1. Quid ſit Metaphyſica. ℞. Eſt ea pars Philoſophiæ, quę de rebus abſtractis à materia, & motu rationes indagat: vndè dicitur Metaphyſica, id eſt ſupra Phyſicam; ſeù naturalem Philoſophiam: tranſcendit enim dignitate, & modo procedendi omnes reliquas ſcientias; quippequæ omnium aliarum ſcientiarum probat principia, & ex parte obiecti nobiliſſimam obtinet partem, vt potè ſub illo, Angelos, ſubſtantiaſque à materia abſtractas, & Deum ipſum conſiderans, vndè diuinæ Philoſophiæ, & naturalis Theologiæ nomen ſibi vendicauit.

Quæres 2. An Metaphyſica ſit Scientia. ℞. Affirmatiuè, & poteſt colligi ex modo, quo ſuum obiectū indagat, qui quidem omnium demonſtratiuarum rationum primam habet dignitatem.

Quæres 3. An Metaphyſica ſit ſapientia. ℞. Sa-

re ſuam ſcientiam: Ens non poteſt ſpecificare Metaphyſicam, quia ipſum ex ſe eſt latiſſimum, & minimè determinatum, ergo non poteſt aliud ſpecificare, ergo &c. R. Ens Dupliciter conſiderari; vel obiectiuè ſecundùm proprium conceptum, & ſic eſt aliquid determinatum, quia non omnia complectitur, vel ſubiectiuè, vt ad omnia inferiora ſe extendit, & ſic eſt latiſſimum: priori modo ſpecificat ſcientiam, non poſteriori.

Dices 2. Si vera reſponſio ſequeretur, quod omnes ſcientiæ Metaphyſicæ ſubalternentur: hoc non, ergo &c. R. Negando ſequelam, nàm ad hoc, vt vna ſcientia dicatur alteri ſubalternata, requiritur idem Obiectum formale, ſeu ſubalternatio ſecundùm idem Obiectum formale, non materiale tantùm, vt hîc contingit; licèt enim Metaphyſica extenſiuè, & materialiter complectatur omnia, quæ in alijs ſcientijs conſiderantur, non tamen ſecundùm idem Obiectum formale, vt de ſe patet.

Tractatus Secundus.

Caput Vnicum De Ente in genere.

QVæres 1. Quid ſit Ens in genere. R. Ago hîc de Ente in ſuâ latiſſimâ acceptione, tàm pro reali, quàm rationis, quod, cùm omnia extenſiuè in rerum naturâ complectatur, difficile eſt illud aliquo modo circumſcribere, non dicam definire, ſic, vt definitum non ingrediatur defini-

finitionem: præterquàm, quòd intellectui nihil ſit magis notum, quàm Ens tali modo ſumptum, vtpotè adæquatum illius obiectum. Nihilominus aliquo ſaltem modo per ordinem ad ſuum oppoſitum ſic poteſt dilucidari, *quod ponitur extra nihil*, quæ omnia potiùs ſunt ſupponenda, quàm exponenda.

Quæres 2. An Ens, vt præciſum ab inferioribus dicat conceptum vnum. R. Loquor hic de vnitate non vniuocá, nec analogicâ quia de hoc, quæſito ſequenti, ſed præcisè de vnitate, vt ſic; eſt autèm conceptus duplex: alius formalis, ideſt ratio formalis cognitionis, ſeù ipſa cognitio formaliter in ſe ſumpta; & hic eſt in intellectu cognoſcẽte, alius obiectiuus, qui eſt illa ratio, ſecundùm quam aliquid ſe cognoſcendum potentiæ præbet, & hic eſt in ipsâ re cognitâ: modò ad propoſitum negant Aliqui de vtroq; conceptu, cu ius oppoſitum probabilius tenent D. Thomas, Scotus, & Alij, & probatur: dum enim quis audit ly *Ens*, non diſtrahitur intellectus ad varios conceptus: ſi enim diſtraheretur deberet diſtrahi ad aliquod inferius Ente, & ſic non præſcinderet Ens ab omni inferiori, quod tamen in titulo ſuppono.

Quæres 3. An iſte vnus conceptus ſit dicendus vniuocus. R. Negatiuè, vniuoca enim dicuntur per ordinem ad inferiora: hic autem in propoſito ab inferioribus abſtrahitur, poteſt tamen dici vniuocus negatiuè, id eſt nec vniuocus poſitiuè, nec æquiuocus, nec analogus, quia hæc etiam dicunt reſpectum ad inferiora, in quantùm ſcilicet

nul-

nullam ſubit rationem diuerſam, ſeu formalis, vel obiectiui conceptus:

Quæres 4. An Ens vt contractum ad inferiora dicat conceptum vniuocum. ℞. Negat D. Thomas, qui ait eſſe analogum, affirmat Scotus: pro ſolutione notandum, Ens contractum ad inferiora, poſſe dupliciter conſiderari: vel ſecundùm ſui rationem abſolutè, vel ſecundùm modum, iuxta quem ad inferiora contrahitur, quod ſic explico: Subſtantia, & Accidens certè conueniunt in ratione Entis. Quomodò igitur in ipſis ratio Entis reperitur? ſic ſcilicet, ſecundùm quòd vtrumq; ponitur extra nihil, & hic eſt conceptus generaliſſimus entis; ſecundò iuxta quòd vnum dicit modum entis exiſtentis per ſe, aliud dicit modum exiſtendis in alio. Modò, ſi priori ratione conſideretur, dicitur vniuocè ad inferiora, ſi poſteriori, tunc dicitur analogicè. Prima pars probatur: nam illa nihil eſt aliud, quàm conceptus generaliſſimus Entis; qui eſt vnicus in ſe, vt quæſito ſecundo oſtendi. Poſterior etiàm, quia alius eſt modus exiſtendi in ſe, alius exiſtendi in alio.

Dices. Contra ſecundam partem (nàm quæ contra primum obijciuntur, facilè meo iudicio diluuntur) Iſti modi eſſendi ſunt differentiæ Entis, ſicut rationale, & irrationale reſpectu animalis; atqui hæ non tollunt rationem vniuocam generis ſuperioris, ergo nec differentiæ Entis. ℞. Negando maiorem, nam differentia in ſuo formali conceptu non includit ſuum genus ſuperius, vt pro nunc ſuppono ex infrà dicendis, at

 quæ-

quæcumque ratio entis contractiua eſt ex-cogitabilis, ipſa in ſuo formali conceptu neceſſariò includit Ens; vndè non eſt par ratio vtrobiq.

Quæres 5. Quomodò Ens ad ſua inferiora contrahatur. ℞. Ratio quæſiti eſt, quia omne, quod contrahitur, debet contrahi per aliquid, quod non continet, nam alias ſi ipſum ante contractionem includat, fruſtra per ſuperuenientiam illius, diceretur ad inferius contrahi: Ens autem, cùm omnem differentiam includat, quomodò poteſt contrahi? hæc quæſtio multorum torquet ingenia. Pro faciliori ſolutione, nota, aliquid ab alio includi poſſe dupliciter, vel intenſiuè, vel extenſiuè: priori modo dicitur aliquid includere plura non quantitatiuè, ſed plures gradus perfectionis ad modum qualitatis: ſic omnis ſpecies includit ſuum genus, vti *homo, animal*. Poſteriori modo dicitur aliquid continere plura quantitatiuè, ſic genus includit omnes ſpecies. Modò ad propoſitum, dico, nihil obſtare, quò minùs aliquid contrahatur ab aliquo, quoad gradus perfectionis, quod extenſiuè includit, vt fit in præſenti.

Tra-

Tractatus Tertius.

De Ente reali.

Caput 1. *De Ente reali, & eius Attributis in genere.*

QVæres 1. Quid ſit Ens reale. R. Diuiditur adæquatè Ens in reale, & rationis: hîc de priori, infrà de alio: eſt autem *Ens reale quod poteſt exiſtere*, ſeù *cuius poſitio non determinat intellectum ad contradictionem*. Vndè patet, non ſolùm id eſſe ens reale, quod exiſtit actu, ſed quodcumq; exiſtere poteſt: ſic roſa in hieme, licèt actu non exſtat, dicitur tamen Ens reale.

Quæres 2. An Ens ſic ſumptum, habeat veras proprietates. R. Negatiuè, nàm proprietas rei non includit ſubiectum in ſuo intrinſeco conceptu, quæcumq; autem proprietas Entis daretur, includeret neceſſariò conceptum Entis. Habet tamen attributa, quibus ſic non repugnat incluſio ſui ſubiecti. Pro cuius intelligentiâ.

Quæres 3. Quæ ſint attributa Entis. R. Vulgò aſſignantur quinque, ſcilicet: *Res, Verum, Bonum, Vnum, Aliquid*. Sed primum, & vltimum reijciendum puto, *res* enim nihil addit ſupra *ens*: *aliquid* autem vel ſumitur pro *aliquo* determinato, & ſic eſt idem quod *vnum*, vel ſumitur indeterminatè, & ſic nihil ſuperaddit Enti.

QVæres 1. Quid ſit veritas. ℞. Omiſsâ veritate complexâ, quæ tantùm reperitur in propoſitione, & conſiſtit in eo, quòd aſſertio, vel negatio ſit conformis rei ſignificatæ, ſicut falſitas, in eo, quòd ſit difformis, de quâ in Logicâ, vbi de propoſitione: hîc tantùm agimus de incomplexâ, ſeù tranſcendente, quæ eſt attributum Entis, conſiſtitque in eo, quòd Ens ſit conforme ſuis principijs intrinſecis, diciturque per ordinem ad ſui cognitionem, & potiſſimùm ad idæam, quam habet in mente Diuinâ, & per hanc valet dicere, eo ipſo, quo eſt Ens, eſt verum Ens.

Quæres 2. An etiã propoſitio falſa ſit vera hoc modo. ℞. affirmatiuè, & patet ex dictis: nam talis propoſitio, licèt ſit falſa, ſubit tamen verè rationem propoſitionis: vndè dicimus verè falſam eſſe talem propoſitionem.

Dices. Quæcũq; Veritas datur in propoſitione, eſt complexa, ſed Veritas tranſcendens non eſt complexa, ergo non eſt in propoſitione. ℞. Propoſitio, vel conſideratur cum relatione extrinſeca ad ſuum ſignificatum, & ſic omnis eius veritas dicitur complexa, vel in ordine ad ſuum intrinſecum eſſe, & ſic aliquâ ratione etiam poteſt dici eius Veritas complexa, quatenùs ſcilicet ipſa entitas complexa eſt alia ratione ſimplex, quatenùs excludit complexionem relationis extrinſecæ: modò Veritas tranſcendens excludit complexionem relationis extrin-

trinſecæ, non quamcumq; quòd autem illa Veritas ſit extrinſeca propoſitioni, patet, quia eadem propoſitio poteſt tranſire de verâ in falſam in probabiliori ſententia.

Quæres 3. Quæ ſit differētia inter Veritatem tranſcendentem,& formalem. R. Omiſſis varijs differentijs, quæ poſſent adferri hanc eſſe potiſſimam ad propoſitum, quòd Veritas formalis propoſitionis eſt in intellectu enuntiantis, at Veritas tranſcendens eſt in re ipſâ, ſicuti omnis entitas eſt in re, ſic Veritas, quæ eſt idem, quod entitas.

Dices. Falſitas tranſcendens eſt in intellectu, ergo & veritas, antecedens probatur: non enim eſt in re ipſâ, quia tunc aliqua res non eſſet vera tranſcendentaliter, ergo in intellectu; conſequentiam ſuppono, quia Veritas, & falſitas ſpectāt ad idem ſubiectum. R. Negando antecedens ad cuius probationem dico nullam dari falſitatem tranſcendentem, quòd ſi detur, vt in ente rationis, hoc non eſt ſimpliciter ens,& ex illius parte ſe tenet: de reliquo hoc ſic oſtendo: quando intellectus concipit non ens per modum entis, obiectiua falſitas,ſeù tranſcendens eſt in ente, at in conceptu eſt falſitas formalis.

Quæres 4. Vndè ſumatur Veritas principiorum internorum. R. Dictum fuit Veritatem tranſcendentem conſiſtere in conformitate rei cum ſuis principijs: cùm autèm, & ipſa principia ſint entia, & conſequenter vera; meritò quæritur vndè ſumant ſuam Veritatem, & dico: reciprocè ſumi ab ipſo ente, ſicut enim relatio ſimilitudinis ſumitur ab vno ſimili ad alterum reciprocè,

 ſic

ſic relatio Veritatis, ſeù conformitatis inter ens, & ſua principia.

Dices. Quomodò relatio conformitatis entis, & principiorum ſumitur reciprocè, cùm ens à ſuis principijs non diſtinguatur, nihil autèm referatur ad ſeipſum. R. Dicũt Aliqui, quòd licet Ens non diſtinguatur ab omnibus ſuis princippijs; diſtinguitur tamen à ſingulis, quod ſufficit. Sed hæc ſolutio mihi nullo modo placet, quia à ſingulis principijs ſigillatim non poteſt ſumi adæquata rei Veritas, ſed ab omnibus ſimul, à quibus tunc non diſtinguitur. Vt adæquata Veritas in homine non ſumitur ab vno principio ſigillatim, & ab alio ſigillatim: nam hinc naſceretur mira confuſio; nàm ſi adæquata Veritas hominis conſiſteret in eſſe animalis, & pariter adæquata veritas bouis in eſſe animalis; tum Bos verè eſſet homo. Dicendum igitur in tali relatione, aliquid poſſe ſub diuersà ratione formali referri ad ſeipſum; præſertim, cùm relatio ſit ita intrinſeca rei; nec refert, ſi in alijs relationibus id non contingat, quia nulla eſt ita intrinſeca vt hæc.

Quæres 4. Quæ ſint illa principia. R. Eſſe gradus Metaphyſicos: id eſt genus, differentias, &c. vſq; ad ſpeciem infimam.

Caput 3. De Bonitate Tranſcendente.

QVæres 1. Quid ſit Bonitas tranſcendens. R. Tritum eſt axioma *Bonum eſt quod omnia appetunt*. Vndè optimè explicatur Bonitas per ordinem ad potentiam appetitiuam, ſicut Veritas per ordinem

nem ad intellectiuam. Bonitas itaq; conſiſtit in eo,quòd reddat Ens appetibile ab aliquâ potentiâ, ſaltem poſſibili: & ratio deſumitur ex eo,quòd omnis entitas eſt aliqua perfectio: omnis autem perfectio eſt bona, & appetibilis: vndè Geneſis 1. *Vidit Deus cūcta quæ fecit,quòd eſſent valdè bona.* Pro quo ſciendum duplex eſſe bonum: alterum abſolutum, & conſiſtit in ipſa rei perfectione, aliud relatiuum; id eſt, quod eſt alicui bonum: hoc poſterius diuiditur in honeſtum, delectabile, & vtile; & eſt Ethicæ conſiderationis; prius autem Metaphyſicæ.

Quæres 2. An omne Ens ſit bonum. ℞. De abſolutis nullum eſt dubium, de Relationibus, procedit quæſitum; quas negat Scotus abſolutè dicere perfectionem, & D. Thom. de Relationibus Diuinis 1. par. quæſt. 42. art. 4. ad 2. & multi Alij. Ardua eſt quæſtio, pro quâ notandum, circa relationes Diuinas nullum eſſe dubium, quin dicant infinitam perfectionem, quatenùs identificantur naturæ, & conſequenter ſunt infinitè bonæ, ſed quæſitum procedit de relationibus ſecundùm ſe conſideratis. Ego cum philoſopho puto omne ens, & conſequenter Relationes ex ſuo genere eſſe bonas: nàm 1. Ethic. cap. 6. Bonum totidem modis dicitur, quot ens. Accedit auctoritas Ecleſiæ canentis, quod *in Perſonis proprietas in Naturâ vnitas, & in Maieſtate adoretur æqualitas*. Vbi, cùm iubeat proprietatem, ſeù Relationem ſecundùm ſe adorari cultu latriæ (vt ſuppono) neceſſariò agnoſcit in ipsâ infinitam perfectionem, & bonitatem.

Sed reſpondent, Eccleſiam id præcipere, quatènus Relationes identificantur Naturæ Diuinæ: ſed contra; quia dicit in Perſonis adorandam proprietatem; quaſi dicat, quatenùs Perſonarum ſunt proprietates, quæ eſt vera notionalis conſideratio, quatenùs relationes ſunt, non quatenùs Naturæ ſunt identificatæ.

Dices. (Et eſt ferè vnicum Contrariorũ fundamentum) ſi Paternitas ſecundùm ſe eſt perfectio, ſequitur, quòd in Patre ſit aliqua perfectio, quæ non eſt in alijs Perſonis, nec in Naturá, quod eſt abſurdum. R. Negando ſimpliciter ſequelam, ſed pro clariori intelligentiâ diſtinguo: datur aliqua perfectio in Patre, quæ non eſt in alijs Perſonis æquiualenter, & ſecundùm Naturam identicè: nego. Datur aliqua, quæ non eſt in alijs Perſonis, & Naturá formaliter, & concedo; nec hoc eſt abſurdum.

Quæres 3. Quomodò intelligatur 3. Metaph. cap. 2. res Mathematicas, nec eſſe bonas, nec malas, ſi omne ens eſt bonum. R. Res mathematicas in ſe eſſe bonas, licèt in ſui mathematica conſideratione non conſiderentur ſecũdùm ſuam bonitatem præcisè.

Caput 4. De Vnitate Tranſcendente.

QVæres 1. Quid ſit Vnitas. R. Eſt *ratio, quâ ens redditur indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumq; alio*: Atq; hanc proprietatem enti competere per ſe patet, quia, ſi aliquod Ens non eſſet vnum, iam non eſſet ens, ſed entia.

Quæ-

Quæres 2. An hæc Vnitas ſit idem, quòd vnio partium inter ſe. ℞. Affirmant pauci, quia ſublatâ vnione tollitur Vnitas, & hâc poſitâ ponitur. Sed placet oppoſitum, quia datur vnum ſine vnione, vt in Angelis: vnio enim ſupponit partes; 2. vnio ſupponit partes in ratione entis, non Vnitas; vndè vnio reddit partes vnitas, Vnitas verò reddit cōpoſitum vnum.

Quæres 3. An Vnitas præcisè ſit negatio diuiſionis. ℞. Negatiuè, quia, cùm omnis entitas ſit poſitiua, cui identificatur Vnitas: neceſſariò etiam Vnitas debet eſſe poſitio, & non negatio.

Quæres 4. Quid ſit ergo Vnitas. ℞. Eſſe relationem tranſcendentem oppoſitionis ad multa. Ratio patet ab excluſione reliquorũ, cùm nihil videatur reſtare per quod meliùs exponatur.

Quotuplex ſit Vnitas optimè intelligetur per rationem eius oppoſiti, ſcilicet diſtinctionis, de qua infra tractatu 9.

Tractatus Quartus.

De Ente Increato.

Caput 1. De Deo, & eius Attributis in genere.

QVæres 1. Quid ſit Deus. ℞. Certum eſt Deum non poſſe determinato genere, & differentiâ, definiri, vel immediatè in ſe naturali ratione à creaturâ cogno-

gnoſci: nihilominùs quantùm patitur humanâ conditio (præſcindo à lumine fidei) naturaliter cognoſcitur ens à ſe, per quod diſtinguitur ab omni creatura, inſuper ſummè bonum, perfectum, ſimplex, &c.

Quæres 2. An ſit Deus. ℞. De fide non eſt dubium, procedit itaq; præſens quæſitum de ratione naturali; nec à priori demonſtrabile eſt, quia non habet cauſas, ſed quantùm eum ex effectibus cognoſcimus: ac primò Ariſt. multùm differens lib. 8. Phyſ. de primo Motore manifeſtè ex ratione phyſicâ concludit, ne detur proceſſus in infinitum, debere dari aliquod ens, quod eſſet reliquorum cauſa, & ipſum à nullo cauſaretur: nunc vltra rationem deſumptam à motu: metaphyſicâ conſideratione illud indagamus: probatur igitur Deum eſſe, ſic: Tota hæc rerum vniuerſitas contingenter eſt, ergo oportuit ab aliquo determinari, vt fieret: rurſus illud determinans, vel eſt neceſſarium, vel contingens; ſi neceſſarium, habetur intentum, ſi contingens iterum oportuit determinari ab alio donec deueniamus ad ens neceſſarium, vel admittatur proceſſus in infinitum: ne detur ergo proceſſus in infinitum, infero aliquod ens primum, & neceſſarium, quod eſt D. O. M. ſic, vt non niſi *inſipiens dicat in corde ſuo non eſt Deus*. Pſal. 13.

Quæres 3. Quid ſit Attributum Dei. ℞. Eſſe prædicatum naturæ Diuinæ commune omnibus tribus Perſonis: vt Bonitas, Sapientia.

Quæres 4. An Attributa Diuina diſtinguantur formaliter à Natura, & inter ſe. ℞. Re-

Reiecto errore Cuiuſdam VValteri, qui dicit Attributa Diuina diſtingui realiter à Natura, vt notat Becan.1.p.tr.1.cap.1.q.1.Quęſtio hic agitur an ſaltem formaliter ex natura rei diſtinguātur. Sciendū ergò diſtinctionem hanc nihil eſſe aliud, quam quà aliqua extrema independenter ab intellectu diſtinguuntur, non quidem vt res à re, ſed vt formalitas à formalitate, vel (vt verbis Scoti vtar) vt realitas à realitate, hanc enim in Deo ponit vt illam à ſe inuentam promoueat, dum dicit, *In Diuinis ante actū intellectus datur realitas A, & realitas B*, ſed hanc ex profeſſo infra tr.9.q.6.improbabo: pro nunc dico hoc impoſſibile eſſe, quia, ſi admittatur inter Diuina attributa, realitas A, & realitas B, in abſtracto, neceſſariò admittenda eſt res A, & res B, in concreto: conſequens eſt erroneum, conſequentia probatur ex ipſo Scoto 3. diſt.1.q.3. vbi ait, quòd ſi vna hypoſtaſis aſſumeret plures humanitates, ratione humanitatum in abſtracto, multiplicarentur homines in cōcreto, etiam in vno ſuppoſito ergo à pari ſi Natura Diuina, & Attributum ſint plures realitates in abſtracto, erūt etiam res plures in concreto in vna Perſona.

Reſpondebit Quis rationem diſparem eſſe, quia inter realitates à Scoto admiſſas non eſt realis diſtinctio, ſed ſola formalis, at inter humanitates eſt diſtinctio realis. Sed contrà: hæc ſolutio reſpondet, quod eſt in quæſtione, ego enim contendo etiam realitates neceſſariò diſtingui realiter, & probaui à pari, ergo hoc non benè aſſignatur pro diſparitate.

Dices. Deus intelligit formaliter per intelle-ctum, & non per voluntatem, ergo hæc duo diſtinguitur formaliter. ℞. Diſtinguo conſequens diſtinguuntur formaliter virtualiter; concedo: ex natura rei, nego: pro quo.

Quæres 5. An Attributa diſtinguantur virtualiter inter ſe, & à Natura. ℞. Affirmant communiter omnes Thomiſtæ, & plerique Teologi contra Scotiſtas; ſed Chryſoſtomus Scupina Theſ. 1. de Deo, nec iſtam, nec Scotiſticam admittit, ſed ſolam diſtinctionem rationis. Reuerà tamen, negari non poteſt; pro quo nunc breuiter explicabo in quo cõſiſtat, illam diſtinctiùs infrà ſuo loco traditurus. Eſt nihil aliud, quàm eadem ſimplex Entitas Eſſentiæ Diuinæ, quatenùs in ſe continet omnes rerum omnium virtutes, e. g. quatenùs ſe applicat obiecto intelligibili habet virtutem intellectiuam, quatenùs volubili, volitiuam, & ſic de cæteris; cùm autem illas virtutes habeat independenter à noſtro intellectu, vt vrgebat ſuprà in obiectione Scotus, rectè dicitur plùs, quàm ratione diſtingui.

Dices. Cum Scupina: hæc diſtinctio virtualis tollit diſtinctionem realem Diuinarum Relationum, ergo &c. probo ſequelam: nam eâdem ratione, quâ ſaluamus intellectionem, & volitionem diſtinctam diſtinctione virtuali, ſaluabimus etiam Spirationem actiuam, & paſſiuam, & Generationem actiuam, & paſſiuam &c. ℞. Retorquendo argumentum; quia, ſi quid vrgeret, valeret etiam, quòd eâdem ratione in ſua diſtinctione rationis omnia ſaluarem: dicendum ergo

go rationem diſparem eſſe de Attributis, & Relationibus, quia ſcimus relationē Realem requirere extrema realiter diſtincta, non autem Attributa.

Quæres 6. An detur ratio communis omnibus Attributis Diuinis. R. Senſus eſt an detur aliquis conceptus genericus obiectiuus à parte rei reſpectu Attributorum virtualiter diſtinctus à ratione propriâ cuiuſq; & dico negatiuè, quia ille conceptus, vel diceret perfectionem, vel non; diceret (vt ſuppono) vel ergo finitam, vel infinitam, non prius, quia omnis perfectio in Deo eſt infinita, nec poſterius, quia quomodò tunc contraheretur per particulare attributum infinitatis.

Caput 2. De Attributis Dei ſpeciatim.

QVæres 1. Quomodo Deus ſit vnus. R. Suppono in primis eſſe vnum vnitate tranſcendentali: vtpotè Ens. Quæritur ergò, an ſic ſit vnus, vt nec ſint, nec eſſe poſſint plures; & fides docet infallibiliter affirmatiuè, vti & ſcriptura Deuteron. 32. *videte, quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me*. Præter hæc varias adducunt Autores rationes: Ego vnam decerpſi; nàm ſi eſſent plures Dij, vel ipſi omninò conuenirent, vel omninò diſconuenirent, vel partim conuenirent, & partim diſconuenirent; ſi prius, ergo vnus non diſtinguetur ab alio, ne quidem numero, quia etiam numero conuenirent: ſi ſecundum, ergo ſi vnus eſt Deus, alter non erit, quia aliàs conuenirent

in

in Diuinitate : ſi tertium ; tunc ratio in quâ diſconuenirent, vel eſſet bona, vel non : ſi prius, ergo alter, qui hanc non haberet, non eſſet ſummè bonus : ſi poſterius ; ergo tûnc aliquid eſſet in Deo, quod non eſſet bonum, ergo non eſſet Deus.

Quæres 2. An & quomodò Deus ſit ſimplex. R. Affirmatiuè, & ratio eſt, quia omnis compoſitio dicit imperfectionem, quam non licèt admittere in Deo, dicit enim compoſitio vnum per modum potentiæ, ſeù perfectibilis, alterum per modum actus, ſeù perficientis, vndè in Deo poneretur aliquod perfectibile, omne autem perfectibile dicit in ſe negationem perfectionis, & conſequenter &c.

Quæres 3. Quomodò Deus ſit ſummè perfectus. R. De fide non eſt Dubium, quin Deus in ſe contineat omnem perfectionem poſſibilem. Explicandum tamen eſt, quomodò contineat perfectionem omnem : præcipuè creaturarum, quæ ſæpè importat intrinſecam imperfectionem, & ſæpè Deo repugnet, vt eſſe Animalis, Angeli. Dico ergò Deum iſta continere eminenter, & idæaliter : eminenter quidem, quia omnis cauſa efficiens continet eminenter omnem perfectionem ſui effectus, hoc eſt in virtute productiuâ, & idæaliter, quia Eſsentia Diuina eſt quaſi increata imago, & norma, ſecundùm quàm omnes Creaturæ ſuam participant perfectionem.

Quæres 4. Quomodò Deus ſit infinitus. R. Hoc attributum colligitur ex præcedenti ; quia ad ſummam Dei perfectionem re-

quiritur infinitas, quæ conſiſtit in eo, quòd omnia in Deo ſint ſine menſura,& probatur ab Ariſtotele ex vi motrice infinitâ, qua ſcilicet mouet per infinitum tempus: ſed quamuis Ariſtotelis argumentum efficax ſit, vt tamen ab ipſo vrgetur non valet, quia hoc ipſum in ſententia illius inferrem de Intelligentijs, vndè hoc argumentum meliùs ſic vrgetur Dei vis motrix eſt infinita, ergo & ipſa entitas (huc vſque Ariſtoteles) conſequentiam ſuppono. Antecedens probo, non quia per infinitum tempus mouet, ſed quia actus creationis eſt infinitæ virtutis, quod ſic probo quia entis ad non ens eſt, infinita diſtantia, quod vide clariùs quæſito vltimo phyſicorum.

Dices. Si Deus eſſet infinitus, omnes creaturæ eſſent æquè perfectæ: hoc non, ergo &c. probo ſequelam: quia eò creatura eſt perfectior quò minùs diſtat ab infinita Dei perfectione, ſed omnes tunc æqualiter diſtarent ſcil. infinitè, ergo omnes eſſent æqualiter perfectæ. R. Maiorem,vel minorem perfectionem creaturæ præcisè non ſumi à maiori, vel minori diſtantia à perfectione Dei, ſed quò plures gradus obtinet perfectionis.

Quæres 5. An & quomodò Deus ſit immenſus. R. Conſtat ex ſcripturis quod ſic, iuxta illud Hier. 23. *Cælum, & Terram ego impleo dicit Dominus*: atque hoc non tantùm intra cœli, & terræ limites, ſed etiam extra vniuerſum, per infinitum ſpatium imaginarium, vndè Iob. 11. dicitur *Excelſior Cælo es, & profundior Inferno*: & ratio colli-

colligitur, quia Deus per totum illud ſpatium poteſt cauſare, ergo neceſſariò eſt ibi præſens.

Quæres 6. An Deus ſit omnipotens. R. Affirmatiuè: conſiſtit autem in eo Omnipotentia, quod poſſit Deus ſe extendere ad productionem omnis entis realis: vndè ſatisfit aliquorum Idiotarum Obiectioni, & Verſtio citato à Becano, 1. p. tr. 1. cap. 17. quæſt. 3. qui negat omnipotentiam Dei, eò quòd non extendat ſe abſolutè ad omnia, etiam impoſſibilia, quia dicendum eſt, quòd eiuſmodi non ſint Entia, quod autem non eſt Ens, non poteſt fieri, & patet in ſimili De Diuinâ Omni ſcientiâ; quare enim Deus non intelligit non intelligibilia? quia non intelligibilia ſunt extra obiectum intellectus, ſic pariter, quare Deus non poteſt impoſſibilia? quia non poſſibilia ſunt extra obiectum potentiæ, vndè ſicut rectè ſaluatur Omni ſcientia, quamuis ſe non extendat ad non ſcibilia, ſic optimè ſaluatur Omnipotentia, quamuis non poſſit non poſſibilia. Modò probo Deum eſſe Omnipotentem, hoc eſt extendere ſe ad omnia poſſibilia: nam omne producibile eſt producibile ab aliquo, ſed nō ab aliquo producto, quia hoc aliàs debuiſſet ſeipſum producere, ergo ab aliquo improducto, quod eſt D. O. M.

Quæres 7. An Deus ſit immutabilis. R. Affirmatiuè: ſequitur ex dictis, nàm ſi eſſet mutabilis non eſſet ſummè ſimplex, ſed cōponeretur ex ſubiecto, & formis, per quas mutaretur.

Dices. Deus ſæpè vult, quæ non voluit,

VI.

vt vult me iam eſſe, quem ante aliquot annos non volebat eſſe: iam eſt Creator. & ante aliquot annos non erat Creator, quæ omnia videntur importare mutationem in Deo. ℞. Similia non importare, niſi denominationem extrinſecam reſpectu Dei, nam ab æterno volebat vno actu indiuiſibili tunc mundum producere, cùm produxit, & ſemper vult, & ſemper volet, quamuis iſtæ differentiæ, *voluit & volet*, non propriè ſint in Deo; niſi per relationem extrinſecam ad noſtrum tempus: Vnde, tàm in volitione, quàm in creatione manet immutabilis.

Quæres 8. An Deus ſit æternus. ℞. *Aeternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio*, propria Dei duratio: & colligitur ex eo, quòd cum Æternitas ſit attributum Dei: attributa autem ſunt idem, quòd eſſentia, ſicut eſſentia eſt interminabilis, & tota ſimul, ſic etiam Æternitas, eſt tota ſimul, & interminabilis.

Quæres 9. An Deus ſit Omniſcius. ℞. Affirmatiuè, & probatur eâdem ratione, vt de Omni potentia ſuprà, ſic: omne ſcibile eſt ab aliquo ſcibile, nullum Ens hoc ſibi poteſt vindicare, præter ſolum Deum, ergo &c.

Vlterior Inquiſitio eorũ, quæ ad hanc mariam ſpectant Theologos requirit, vt & ea quæ de voluntate Dei dicuntur: vndè illa conſultò omittimus.

Tra-

tialis, per quam quæuis res, etiam vltra limites ſuæ naturæ præſtat ſuam entitatem Deo, ad hoc, vt illa vtatur ad quodlibet ſibi placet, quod non implicat contradictionem, vel quamlibet talem actionem patiatur, vti Dæmones, cùm immateriales ſint, ab igne materiali patiuntur.

Quæres 4. An Dæmones non tantùm concurrant per potentiam obedientialem ad hoc, vt recipiant actionem ignis, ſed etiam ignis per potentiam obedientialem actiuam in Dæmones agat. R. Apertè in terminis quæſtionem non vidi, ex ijs tamen quos legi videtur colligi affirmatiuè, & procedit quæſitum, factâ ſuppoſitione, quòd Dæmones verè ab igne infernali vruntur, quod tamen non puto, nihilominùs datâ hypoteſi puto Ego negatiuè, & ratio eſt, quia comburere, eſt naturalis effectus ignis, non obedientialis, quando apponitur ſubiecto combuſtibili ſiue ſubiectum factum ſit combuſtibile per potentiam naturalem, vt lignum, vel per obedientialem, vt Dæmones: & colligitur ex eo, quòd, habito tali ſubiecto, naturaliter non poſſet non comburere.

Dices. Receptio talis cruciatus fit per potentiam obedientialem in Angelo, ergo & inflictio talis cruciatus fit per potentiam obedientialem ab igne. R. Diſpar eſt ratio, nam ignis hîc nihil præſtat, quàm ardorem, qui eſt ei naturalis, cuicumque ſubiecto cõbuſtibili applicetur; at in Angelo res aliter ſe habet, quia ille ad præſentiam comburentis, non ardet naturaliter, ſicut gnis ad præſentiam arſibilis naturaliter vrit.

Quæ-

Quæres 5. Ad quæ ſe extendat potentia obedientialis Creaturę. ℟. Putant Aliqui indifferenter ſe ad omnia extendere, quæ ſimpliciter non implicant contradictionem, vndè eam extenſiuè æquant Diuinæ Omnipotentiæ, ita Franciſcus Lerees in Metaph. diſp. 1. art. 4. §. 2. Vnde concedit apertè, quòd ſpiritus ſit receptiuus quantitatis, ſed hoc limitandum videtur ad ea, in quibus hic, & nunc nulla ſequitur contradictio, ſic, licèt ſimpliciter non implicet lapis, nec anima, implicat tamen anima informans lapidem, quia idem eſſet inanimatum, ex ſuo intrinſeco prædicato lapidis, & animatum, quòd implicat, & ſic Angelus redderetur quantus, ſi in eo eſſet quantitas, quod eſt incomprænſibile: denique deſtruit omne ens rationis, quod non oritur, niſi ex prædicatis oppoſitarum naturarum, quia ipſe ſaluaret per potentiam obedientialem.

Sed reſpondet Lerees ad illud de Angelis negando ſequelam, nam ly *quantum* eſt denominatio reſultans ex quantitate in ſubiecto, non quolibet, ſed illam naturaliter expetente. Sed contrà, quia omnis forma, dum eſt in ſubiecto, licèt naturaliter à ſubiecto non poſtuletur, denominat tamen illud in concreto: ſic Angeli, etiam in illius ſententiâ verè dicuntur patientes ab igne, licèt paſſio non ſit ipſis naturalis; ſic intellectus dicitur videns Deum, quamuis viſio non ſit ipſi naturalis, & conſequenter, admiſsâ quantitate in Angelis, verè dicentur quanti.

Digitized by Google

Tractatus Sextus.

De Subſtantia.

Caput 1. De Eſſentia, & Diuiſione Subſtantiæ.

QVæres 1. Quid ſit ſubſtantia. R. Hanc ſuprà, & eius Proprietates in Logicâ aſſignauimus; hic propiùs eius eſſentiam Metaphyſicè indagamus; & dubium eſt, an Eſſentia Subſtantiæ conſiſtat in Perſeitate, an in eſſe reliquorum ſubiecto, & ratio dubitandi eſt, quia Ariſt. cap. de ſubſtantia videtur potiſſimùm agere de eius ratione ſubſtandi alijs; tum quia ſecundæ ſubſtantiæ non videntur per ſe, ſed in ſubiecto, ſcil. ſubſtantia prima exiſtere. Nihilominus dico, quòd ratio eſſentialiter conſtitutiua Subſtantiæ ſit Perſeitas: pro probatione notandum illud hic intelligi per ſe exiſtere, quod non exiſtit in alio, vel ſi exiſtat; exiſtit, vt pars eſſentialis ſubiecti; ſecundò hoc non intelligi de actuali exiſtentia, ſed de exigentiâ naturali: modò ſic probatur aſſertio. Illa eſt ratio formaliter conſtitutiua alicuius, per quam res intrinſecè, & à priori differt ab omni alio, ſed talis eſt perſeitas reſpectu ſubſtantiæ, ergo &c. maior ſupponitur; minor probatur, nam penès hoc differt Subſtantia ab Acicdente: nec valet dicere hoc ipſum fieri in eo, quòd ſit ſubiectum reliquorum, nàm eſſe ſubiectum conuenit ſub-

ſtan-

ſtant æ à poſteriori , ſcilicet ratione ſuæ Cauſalitatis, quia, dum ſubſtat, ſupponitur eſſe.

Quæres 2. Qualis ſit diuiſio Subſtantiæ in primam, & ſecundam. ℞. Quæſtio eſt, an ſit generis in ſpecies; & hoc non, quia vna ſpecies non includit aliam, vt ſubſtantia prima ſecundam: an totius in partes, & hoc non, quia ſubſtantia prima potiùs habet rationem totius, quàm partis: an alia; Circa quod variæ ſunt opiniones, mihi placet illa Ammonij, non quidem, vt ab ipſo exponitur, ſed vt dicit non eſſe veram diuiſionem, & ratio eſt, quia vera diuiſio requirit, vt vnum membrum diuidens non includat formaliter totum diuiſum, quia ex regulis bonæ diuiſionis omnia membra diuidentia ſimul debent adæquare diuiſum, non vnum tantùm, vt in præſenti, vbi ſubſtantia prima omnem ſubſtantiam includit. Puto ergo potiùs eſſe diſtinctionem partis à toto, quàm veram diuiſionem.

Quæres 3. Quæ ſit eſſentia ſubſtantiæ ſecundæ. ℞. Putant Multi eſſe rationem ſecundi ſubiecti in ordine ad accidentia, ſed cum talis ordo ſit poſterior ad eſſe ſubſtantiæ, vt ſupra inſinuaui, meritò refelluntur. Puto autem nihil aliud eſſe, quàm ſubſtantiam pro primâ intentione, præciſâ ſingularizatione, quæ poſtea aduenïens conſtituit eam in eſſe ſubſtantiæ primæ, quia per hoc adæquatè ponitur ſecunda in eſſe ſubſtantiæ, & ex præciſione indiuiduationis contra diſtinguitur à primâ ſufficienter.

Ca-

Caput 2. De Natura, Exiſtentiâ, & Indiuiduatione.

QVæres 1. Quid hic dicatur Natura. R. Aliter hic, aliter in phyſicis ſumitur: in phyſicis pro principio motus, & quietis, hic pro prædicatis eſſentialibus alicuius rei, ſic Natura humana dicitur omnia prædicata eſſentialia hominis, vt eſſe animal, rationale.

Quæres 2. Quid ſit Exiſtentia. R. *Eſt poſitio rei extra ſuas cauſas*, ſeù aliter, *eſt vltimum complementum termini indiuidu*. Vtrũque ſic explico: iam homo poſt annum naſciturus, habet totum eſſe obiectiuum Naturæ humanæ, quia hoc eſt æternum; habet enim, quòd ſit eſſentialiter animal, & quòd ſit rationalis, ſed nullum horum habet actu, quia hæc omnia adhuc ſunt in ſuis cauſis efficientibus: puta ſem ne paterno, & Diuinâ cauſalitate; at quando talis homo ponetur extra iſtas cauſas in rerum naturâ, tunc dicetur exiſtere: item talis homo iam quidem habet prædicata eſſentialia communia omnibus in vniuerſali, ſed necdum propria in indiuiduo, cuius vltimum Complementum, cùm ſuperuenerit: tunc dicetur exiſtere.

Quæres 3. Quomodo Natura, ſeù Eſſentia diſtinguatur ab Exiſtentia. R. Circa hoc variæ ſunt opiniones. Thomiſtæ diſtinguunt realiter, vt rem à re, & colligitur ex D. Thoma 1. par. quæſt. 3. art. 4. in corpore & 2. cõtra Gentes cap. 52. Scotiſtæ cum Subtili Do-

Doctore 3.diſt.6.q.1. diſtinguunt vt modum intrinſecum ex naturâ rei, Alij demum nullatenùs volunt diſtingui. Pro ſolutione aduerte Eſſentiam ſpectari, vel cum actuali Exiſtentia, vel vt adhuc eſt in ſuis cauſis potens ad exiſtendum: ſi poſteriori modo conſideretur, puto diſtingui, vt potentiam, & actum: qualis autem ſit iſta diſtinctio vide infra tractatu 9. hîc autem procedo iuxta Eſſentiam actualiter exiſtentem, & ſenſus eſt quomodo in *Petro* v. g. diſtinguantur prædicata eſſentialia, à ſua Exiſtentia: & tunc vltimæ ſententiæ adhæreo dicenti, ne quidem diſtingui ratione ratiocinatâ: neque enim poſſibile iudico intellectum cum fundamento in re poſſe vnum ab alio, vel ſecundùm rem, vel ſecundûm formalem conceptum diuellere; ſi enim ab Eſſentia tollatur Exiſtentia iam non remanet actualis, ſed in potentia, & è conuersò, ſi ab Exiſtentia tollatur eſſe actuale tollitur ipſa Exiſtentia, & eſſe vltimi complementi, vt patet ex definitione ipſius Exiſtentiæ.

Dices. Idem non eſt in potentia ad ſeipſum, ſed Natura eſt in potentia ad Exiſtentiam, ergo non eſt idem. R. Negando minorem De Eſſentia actuali, conuincit autem argumentum de Eſſentia vt in potentia ad exiſtendum.

Dices 2. Nulla res poteſt eſſe ſuum eſſe, quia hoc eſt proprium ſolius Dei, ergò Eſſentia non poteſt eſſe ſuum exiſtere. R. Deum dici ſuum eſſe, hoc ſenſu, quòd quàm neceſſaria ſunt prædicata eſſentialia in Deo, tàm neceſſaria eſt Exiſtentia, ſic vt in illo non admit-

admittatur potentia ad exiſtendum; at ſi loquamur de reali identitate, tunc id non eſt proprium ſolius Dei, & diſtinguo maiorem nulla res, vt in potentiâ eſt ſuum eſſe ſimpliciter, concedo, vt actu, & nego.

Quæres 4. Quid ſit Indiuiduatio. R. Eſt *ſingularitas rei exiſtentis*: vndè eo ipſo, quo res exiſtit, exiſtit vt indiuidua.

Quæres 5. Quod ſit principium Indiuiduationis. R. Plurimæ circa hoc ſunt opiniones, quas citat Picolomin. lib. 3. de mat. rer. natur. cap. 13. Aliqui enim materiæ, Alij quantitati tribuunt Indiuiduationem Alij materiæ ſignatæ vti Thomiſtæ; materiam ſignatam dicunt materiam affectam certâ quantitate, Alij congregato ex accidentibus, Alij formæ, quibus ipſe adhæret Picol. l. c. cap. 17. Sed nullum horum mihi placet, quia nec ſola Materia, nec ſola forma, nec materia ſignata rectè aſſignatur, cùm ſingula horum apta ſint diuerſificare Indiuiduum, ergo nullum horum per ſe illud adæquatè conſtituit, nec item accidentia, quia hæc ſunt poſteriora omni ſubſtantiâ, & conſequenter ſunt poſteriora primâ, quæ ſupponitur Indiuidua. Scotiſtæ igitur dicunt res omnes indiuiduari à quadam differentia formaliter ſuperaddita Naturæ, quam vocant Hæcceitatam: ſed nec hoc placet, quia præſcindamus Naturam Petri ab hæcceitate, ad huc eſt diſtincta à Natura Pauli in propria Indiuiduatione, ergo &c. veriùs Ego puto res omnes à ſeipſis immediate Indiuiduari, hoc eſt à materia, & forma, quæ ſimul Sumpta ſunt ipſum totum vt ſuprà,

vel à forma, ſi ſint formæ ſimplices: hoc primò probatur ab excluſione aliarum opinionum ſecundò, quia, ſi vel forma ſine materia, vel materia ſine forma adæquatè indiuiduum conſtituerent, tunc altero horum variato, maneret ad huc indiuiduum, quod tamen apertè falſum eſt.

Dices. Si Natura ſeù Eſſentia exiſtat hæc numero immediatè per ſe, & nō per aliquid à ſe diſtinctum, iam vnum Indiuiduum, eſſet ab alió diſtinctum ſecundùm Eſſentiam, & Naturam in eàdem ſpecie quod videtur abſurdum. ℞. Diſtingui ſecundùm Naturam exiſtentem, non ſecundùm naturam præcisè, nec hoc eſt inconueniens.

Dices 2. Vniuerſale, & ſingulare opponitur, ergo, ſicut vniuerſale conſtituitur per formam, ita ſingulare per principium oppoſitum, ſcilicêt materiam. ℞. Vniuerſale opponi ſecundò intentionaliter ſingulari, non p. imò intentionaliter, vt nos loquimur.

Caput 3. De Subſiſtentia.

Quæres 1. Quid ſit Subſiſtentia. ℞. Egimus de exiſtentia, nunc de modis exiſtendi, qui ſunt duo: alter per ſe, & eſt proprius ſubſtantiæ, diciturque Subſiſtentia, alter in alio, & eſt proprius accidentis, diciturque inhærentia. Vndè ſic deſcribitur Subſiſtētia *Terminus completus naturæ ſubſtantialis*, & alio modo dicitur hypoſtaſis, & in concreto ſubſiſtens, ſeu ſuppoſitum, & in rationalibus dicitur Perſona.

Quæres 2. An hypoſtaſis diſtinguatur à Na-

Naturâ, & quomodo. ℞. Varij vario modo ſentiunt, alij enim realiter, vt rem a re, Alij, vt rem à modo, Alij nullo modo reali volunt diſtingui, & verè nullum ſufficiens fundamentum diſtinctionis inuenimus, ſed quidquid de illo ſcimus, à poſteriori Nobis per myſterium Incarnationis innotuit: quippe Verbum Diuinum aſſumpſit (vt de fide credimus) Naturam Humanam ſine ſubſiſtentiâ. Vnde facilè probatur diſtingui aliquo modo realiter: nam quæ nullo modo realiter diſtinguuntur, ne quidem per Deum poſſunt actu ſeparari, ſed de fide fuit in Chriſto ſeparata Natura Humana à ſubſiſtentia; ergo non ſunt omninò realiter idem: vltra controuertuntur Authores, an diſtinguantur realiter, vt res à re, an vt res à modo; vtriq; opinioni fauent Autores, Ego puto diſtingui, vt rem à modo, & ratio eſt, quia illa diſtinguuntur modaliter, quorum vnum ab alio eſt ſeparabile, ſed non è conuersò: tales ſunt Natura, & Subſiſtentia, ergo &c. maior ſupponitur, minor probatur, nàm, licèt Natura ab Hypoſtaſi, non tamen Hypoſtaſis à Naturâ poteſt ſeparari, quomodo enim Hypoſtaſim ab exiſtentia ſeparabis? & tamen exiſtentia eſt idem, quòd Natura, vt ſuprà probaui cap. 2. quæſt. 5.

Dices. Natura poteſt ſine Hypoſtaſi exiſtere, ergo & Hypoſtaſis ſine Natura. ℞. Quidquid ſit de antecedenti, nego conſequētiam, & ratio diſparitatis eſt, quia hypoſtaſis in ſuo definitiuo conceptu includit exiſtentiam, quæ eſt idem quòd Natura: ſed non ita eſt de Natura.

Dices 2. Modus debet determinare ſubie-ctum, aliàs indifferẽs ad hunc, vel iſtum modum, ſed hoc non facit Subſiſtentia reſpectu Naturæ Subſtantialis, quia hæc eſt determinata ad Subſiſtentiam, ergo &c. ℞. Argumentum valêre in modis accidentalibus, non ſubſtantialibus.

Dices 3. Modus aduenit rei vt forma, Subſiſtentia aduenit Naturæ vt ſubiectum, ergo &c. ℞. Licèt Subſiſtentia habeat ſe per modum ſubiecti ad Naturam, illam ſuſtentando, vt quædam materia Metaphyſica, cõſideratur tamen, vt actus quidam, quatenùs dat denominationem Naturæ, quòd exiſtat per ſe, & hoc ſufficit.

Quæres 3. An Subſiſtentia ſit aliquid poſitiuum ℞. Putat Scotus eſſe puram Negationem actualis ſcilicet dependentiæ, & aptitudinalis à ſubiecto, vel aliâ ſubſiſtentia. Hoc facilè reijcitu, nam ſi Hypoſtaſis Petri eſt negatio alterius Hypoſtaſis, iam erit negatio negationis, & conſequenter erit aliquid poſitiuum, quòd deſtruit ſeipſum: dicendum igitur, eſſe aliquid poſitiuum, quia ipſe terminus eſt poſitiuus.

Quæres 4. An ſubſtantia poſſit exiſtere ſine Hypoſtaſi. ℞. Alij affirmant, Alij negant. Ratio affirmantium eſt, quia accidens poteſt exiſtere ſine inhærentia, vt patet in Euchariſtia, ergò poterit, etiam exiſtere ſubſtantia ſine Hypoſtaſi. Negantium ratio eſt, quia non poteſt quantitas exiſtere ſine figurâ, ergo nec ſubſtantia ſine hypoſtaſi. Sed hæc ratio non conuincit, vndè cum communiori ſentio affirmatiuè, & ad rationem

con-

contrariam, nego conſequentiam, & ratio eſt, quia figura quantitatis non diſtinguitur à quantitate, ſicut Hypoſtaſis à Natura, nec vlla oſtenditur implicantia.

Dices. Etiam ratio eſt diſpar in accidente de Euchariſtia, & ſubſtantia, nam tunc accidens dotatur alio modo exiſtend, quomodo autem exiſtet ſubſtantia? R. Poſſe fieri, vt exiſtat ſicut accidens ſeparatum per modum cohærentis in ſe.

Quæres 5. An vna Natura poſſit per plures Hypoſtaſes ſubſiſtere. R. De Deo res conſtat, item ſucceſſiuè non eſt dubium; quæritur ergò ſimul, & de creatis: vbi abſolutè negat Scotus, ſic, vt nec Perſonæ Diuinæ plures poſſint vnam Naturam creatam aſſumere; Ego etiam de Perſonis creatis pato concedendum eſſe: & ratio petitur ex S. Thoma 3. parte quæſt. 3. art. 6. vbi dicit tres Perſonæ Diuinæ actu terminant vnam Naturam Diuinam, ergo poſſunt & creatæ, vel increatæ vnam Naturam creatam aſſum re, nec vlla ſufficiens oſtenditur implicantia.

Dices. Ratio eſt diſpar in Diuinis, & humanis, nam in Diuinis eſt virtus infinita non in humanis. R. Ad hoc non requiri infinitatem præcisè, quia tam Natura, quàm Hypoſtaſis creata eſt finita, vndè ratio diſparitatis eſt nulla.

Dices 2. Vna Subſiſtentia terminat Naturam, quantum terminabilis eſt, quia ſatiat totam eius capacitatem, & exhaurit, ergo &c. R. Exhaurire totam potentiam naturalem, non obedientialem de qua in præſenti.

Quæres 6. An Eadem Hypoſtaſis poſſit

terminare plures Naturas. ℞. De fide conſtat Verbi Subſiſtentiâ ſuſtentari Naturam humanam, & Diuinam, difficultas eſt in ſolis creatis, & videtur, quòd ſic, nam hic iterum nulla eſt implicantia, non enim requiritur virtus infinita, quia vtraque Natura terminatur modo finito, vti contingit in Chriſto, vbi, quantumuis Hypoſtaſis ſit infinita: tamen Natura humana terminatur modo finito.

Quæres 7. Quomodo multiplicentur Suppoſita in concreto, in duobus quæſitis ſuperioribus. ℞. Senſus eſt, an v. g. vna Natura in duabus Hypoſtaſibus multiplicet Suppoſita, puta homines, & an plures Naturæ in vna Hypoſtaſi conſtituant multa Suppoſita, puta homines: Ex omni parte fauent Authores. Puto Ego, quòd ad multiplicitatem Hypoſtaſium ſub vna Natura, puta humana, multiplicentur homines, ſic, ſi Pater, & Filius aſſumerēt vnam Naturam humanam, eſſent plures homines: contra D. Th. 3. parte quæſt. 3. art. 6. & ratio eſt, quia concreta dicuntur multiplicari ad multiplicationem ſubiectorum, quia in recto important ſubiectum, in obliquo formam; modò Hypoſtaſes habent ſe, vt ſubiecta ſuſtentantia Naturam; vndè ad multiplicationem earum, multiplicantur homines, ſicut, ſi eadem albedo eſſet in duobus parietibus, dicerentur duo alba, & non vnum album. Oppoſitum accidit, ſi vna Hypoſtaſis ſuſtentet duas Naturas ob eamdem rationem, vndè ſi Verbum aſſumeret duas Humanitates, tantùm adhuc eſſet vnus homo, quia ad vnitatem ſubiecti dici-

dicitur vnum Concretum.

Dices. Contra primam partem in Diuinis de fide, licèt ſint plures Hypoſtaſes ſuſtentantes vnam Naturam Diuinam, non multiplicantur Dij, ſed manet vnus Deus, ergo & in creatis; licèt multiplicentur Hypoſtaſes ſuſtentantes vnam Naturam humanam, non multiplicantur homines, ſed erit tantùm vnus homo. ℞. Rationem diſparem eſſe, quia in Diuinis Hypoſtaſes non diſtinguuntur à Natura, ſed ſub nomine Deitatis illi identificantur; vndè, ſi diceremus plures Deos, ratione plurium Hypoſtaſium, negaremus identitatem illarum in Naturâ, quod abſurdum non ſequitur in creatis.

Dices 2. Contra ſecundam partem. Vnus homo dicitur ratione vnius Naturæ humanæ, ergo & plures dicentur ob plures Humanitates. ℞. Negando præciſè antecedens, ratio patet ex dictis.

Quæres 8. An accidens poſſit immediatè aſſumi ab Hypoſtaſi. ℞. Certum eſt mediatè poſſe, quatenùs in Naturâ ſubſtantiali (quæ aſſumitur) inhæret: ſic albedo hominis aſſumitur cum homine. Certum deindè eſt, accidentia poſſe exiſtere ſine ſubiecto per modum cohærentium in ſe vt contingit in Euchariſtiâ. Quæritur modò, an poſſit aſſumi, immediatè à vera Hypoſtaſi ſubſtantiali. Puto negatiuè, & ratio eſt, quia ex dictis Hypoſtaſis eſt modus Naturæ ſubſtantialis, modus autem, ne per Deum quidem poteſt à ſubiecto ſeparari, ergo nec Subſiſtentia à naturâ ſubſtantiali, ergo impoſſibile eſt immediatè vniri accidenti.

Tractatus Septimus.

De Subſtantijs abſtractis ſeu Angelis.

Caput I. *De natura Angelorum.*

QVæres 1. Quid ſit Angelus, & an Compoſitus. ℞. Putat S. Bonauentura 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. Angelos eſſe cõpoſitos ex materiâ, & formâ: fundamentum eius in obiectione ſoluetur. Communis ſententia eſt Peripateticorum, & Theologorum contra Stoicos, eſſe puros, & ſimplices ſpiritus materiæ, & molis expertes, vnde naturaliter ſunt incorruptibiles. Ita definitum eſt in Concil. Lateran. cap. *firmiter* huius rei clara ratio aſſignari non poteſt, quandoquidem intellectus noſter, pro hoc ſtatu quidditatiuè ſpiritum non cognoſcit, propter dependentiam, quam dicit à ſenſu, niſi quantum ex negatione materialium cognoſcitur, vel authoritate firmatur.

Dices. Cum S. Bonauent. Nulla res immaterialis poteſt mutari, quia eſt purus actus, & non potentia Angelus poteſt mutari, ergo non eſt purè immaterialis. ℞. Nulla res poteſt mutari, eo modo, quo eſt actus, & ſic contingit in Angelo, quia enim eſt purus actus ſubſtantialis, ideò ſubſtantialiter non poteſt mutari, ſed per hoc non excluditur potentia ad actum accidentalem, vt fit in Angelo.

Quæ-

Quæres 2. An ſint Angeli, & quæ ſit eorum duratio. R. Dari Angelos fides, & Scriptura docet, nulla ratio naturalis conuincit, nam quidquid Ariſt. ex eorum effectibus de eorum exiſtentia collegit: hoc cōmodè poteſt in alias cauſas creatas, vel immediatè in ipſum Deum transfundi: vt oſtēdi in Phyſicâ de reuolutione Cœlorum. Duratio eorum dicitur Æuum, & ſic definitur *Duratio indiuiſibilis, & creata*. Per ly *indiuiſibilis* excluditur tempus, quod fluit ſecundum ſucceſſionem diuiſibilem; per ly *creata* diſtinguitur ab Æternitate, quæ eſt propria ſolius Dei, & ratio eſt, quia Duratio nihil eſt aliud quam exiſtentia perſeuerans, exiſtentia autem, eſt idem, quòd eſſentia, ergo ſicut eſſentia Angeli eſt indiuiſibilis, ita & exiſtentia, & conſequenter duratio; quòd autem ſit creata, probatione non indiget.

Dices. Vnum quodque dicitur in tempore, ſeu duratione diuiſibili ſecundum ſucceſſionem motus, ſed in Angelo dabilis eſt ſucceſſio motus v. g. localis; ergo &c. R. Ad minorem, quando Angelus mouetur localiter, non mouetur ſucceſſiuè continuatim, ſed diſcretè ſecundùm inſtantia ſpiritualia, & indiuiſibilia; ſucceſſio autem quæ ibi reperitur, non eſt intrinſeca ipſius motui, ſed per commēſurationem extrinſecam ad noſtrum tempus ſic dicitur. V. lib. 4. phyſ. cap. 2. de tempore quæſt. vlt.

Quæres 3. An dabiles ſint plures Angeli eiuſdem ſpeciei. R. Negant Thomiſtæ, cum Angelico D. varijs in locis, ac pręcipuè prima parte quæſt. 50. art. 4. & lib. 2. contra gē-

tes cap. 93. & fundamentum eorum eſt; quia putant materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis, quod ſuprà tract. 6. cap.2. quæſt.5. refelli & conſequenter, cùm in Angelis non ſit materia, non eſt principium alicuius differentię numericę tantùm, ſeù indiuidualis. Alij Contrà dicunt, non ſolùm non differre omnes ſpecie, ſed etiam omnes eſſe eiuſdem ſpeciei; Alij demum quibus aſſentior non quidèm omnes conuenire ſpecie: hoc tamen non implicare ſtatuunt, quod ſic probo. Diuina Omnipotentia poteſt producere omne ens reale; ergo poteſt creare ſecundum Angelum in eadem ſpecie: antec. ſuppono: conſequentiam probo. Angelus ſecundus eſt ens reale, ergo &c. probo aſſumptum: primus eſt ens reale; ergo & ſecundus, ſi enim eſſet ratio aliqua diſparitatis, illa, vel teneret ſe ex parte ſuppoſiti, vel naturæ, quia in Angelo nihil aliud datur; ex neutro ſe tenet: ergo &c. quòd autèm ex neutro ſe tenet, probo, quia tàm natura, quam ſubſiſtentia eſſet eiudem rationis in vtroque, vt ſuppono.

Dices 1. Ariſtot. 12. Metaphyſ. 49. Dicit, illa, quæ ſolo numero differunt, formâ conuenire, & materiâ differre, ſed impoſſibile eſt Angelos materiâ differre quià non habēt, ergo & ſolo numero differre. ℞. Hoc argumentum iugulat pleroſque eorum, qui illud adferunt: nam ſi quid valeret, deberet valere eo ſenſu, quo ab Ariſtotele aſſeritur, qui l. c. ibi ex eo vult probare non dabiles eſſe plures Cœlos ſolo numero differentes; quod eſt contra omnes (credo) qui illud adferunt:

cur

cur enim Deus nequeat creare millia cœlorum eiuſdem ſpeciei: Dico itaqu e, vel Ariſtotelem ibi non loqui in ſuâ ſententiâ, vel, ſi ex mente propria loquatur, hoc modo eum expono: materia dupliciter intelligitur, vel pro parte phyſica, vel pro omni eo, quod alteri ſubſtat, & ſic etiam complectitur hypoſtaſim: quando itaque dicit materiâ differre intelligit ſecundo modo, non primò. Scotiſtæ explicant per materiam totius, & materiam partis, quam alibi tractauimus.

Dices 2. Differentia athoma eſt vltima formalis, aliàs non eſſet athoma, ergo quęcumque differentia vlterior datur, non eſt formalis ſed materialis, ſed differentia numerica eſt vlterior, ergo eſt materialis, ſeù penes materiam, non formam. ℞. Eſſe penès materiam ſecundo modo ſumptam, vt ſuprà, non primo modo.

Quæres 4. Quotuplex ſit potentia in Angelo. ℞. Triplex: ſcil. vis motrix, intellectus & voluntas pro quo ſit.

Caput 2. De Vi motrice Angeli.

QVæres 1. An Angelus neceſſariò tranſeat de extremo ad extremum per medium. ℞. Suppono primò omnem motum Angeli intrinſecè non eſſe cõtinuum quia Angelus intrinſecè, & omnes eius affectiones ſunt ſpirituales, & conſequenter indiuiſibiles, & conſequenter non poſſunt habére partes continuatas, niſi extrinſecè per ordinem ad tempus, quo durant modò in præſenti quæritur, cùm ſit ſine ſucceſſio-

ne, an poſſit fieri ab vno extremo ad aliud ſine tranſitu medij. Affirmant Thomiſtæ; negant communiter Alij, quia non bene intelligi poſſit, quomodo id fiat, & ſic arguo ſi Angelus tranſiret ab vno extremo ad aliud ſine medio moueretur localiter ſine motu locali, quod eſt abſurdum: probo ſequelam, nam moueretur, vt ſuppono; ſine motu locali, ſic probo, nam vbi eſſet iſte motus localis? non in extremis, quia in vno indiuiſibiliter deſinit motus localis, & eſt quies, eo ipſo quo ibi attingit, & eo ipſo quo incipit motus indiuiſibiliter, non eſt ampliùs in alio extremo: non in medio, quia ibi non tranſit, ergo nullibi eſt motus localis, & tamen mouetur localiter, ergo &c.

Quæres 2. Quomodo Angelus ſit in loco. ℞. Certum eſt, non eſſe in loco ſuperficialiter circumſcribente; quia hoc tantùm dicitur per ordinem ad corpus: certum deinde eſt habere determinatum *vbi* quia non poteſt ſe per immenſum extendere. Controuerſio eſt igitur, an præcisè dicatur in loco ſecundùm entitatem, an ſecundùm operationem: Dicunt Thomiſtæ Angelum tantùm eſſe in loco ſecundùm operationem: Alij communiter per ſuam entitatem, & merito, quia 1. nullum ſufficiens huius adducitur argumentum 2. quia, præcisâ omni operatione, Angelus eſt alicubi, tertiò, quia præſentia Angeli ſpectat ad prædicamentum *vbi*, non autem actionis.

Dices. Vnum quodque dicitur in loco ſecundùm quantitatem, vt patet in corporibus, Angeli, non habent quantitatem, niſi

virtualem, quæ ſpectatur in eius operatione, ergo per hanc ſolùm ſũt in loco. ℞. Negando mai. nam corpora ſunt in loco circumſcriptiuo, quæ ſpectatur ſecundùm quantitatem, Angeli verò in definitiuo, vndè &c.

Quæres 3. Quomodo Angelus moueat corpora. ℞. Conſtat Angelos mouere corpora: ſic Angelus aſſumpſit Habacuc, detulitque eum Babiloniam ad Danielem, Dan. 14. ſed quæritur, quomodò id præſtet, cùm enim ſpiritualis ſit, quâ ratione rem materialem appræhendit? Ardua eſt quæſtio: Putant Aliqui, hoc fieri ſpeciali virtute datâ Angelo à Deo: ita Gulielm. Pariſienſ. Alij hoc ſolâ voluntate præſtare putant, ſed hoc non ſufficit: debet enim coniuncta eſſe voluntati virtus efficax, quæ hic inquiritur, volitio enim per ſe nihil efficit ad extra: Alij eum hoc habêre ex diſtinctâ virtute motiua putant, vt Aureolus, ſed horum nihil ſatisfacit quæſito, quæritur enim, quomodò virtus ſpiritualis applicetur immediatè enti materiali, & ab illo recipiatur. Martinus Delrio, ait Angelum virtute naturali ſibi notâ occupare corpus illi aſſiſtendo, illudque deuehendo, ſed nec hoc ſatisfacit, placet tamen in eo quod dicat *virtute ſibi notâ*, puto enim hoc neminem adęquatè comprehændere, niſi ipſum Angelum, & Nos cum materiæ expertes erimus Angelicque eſſentiam, & virtutem quidditatiuè intelligemus, intereà certiſſimum puto hoc neminem pro hoc ſtatu (quo intellectus dependet à ſenſu) poſſe intelligere, qui vult eligat eam, quæ placet ex citatis ſententijs.

Quæ-

Quæres 4. An vnus Angelus poſſit alium mouere. ℞. Res facilis apparet, ſi enim omnes eſſe diuerſę ſpeciei credamus, dicendum eſt nobiliorem Angelum poſſe minùs nobilem loco pellere,& mouêre, ſi eiuſdem, non item, quia vbi eſt ęqualis virtus, vbi neutra ſuprat

Dices. Homines, licèt ſint eiuſdẽ ſpeciei, poſſunt tamen inuicem loco pellere; ergo & Angeli. ℞. Negando conſequentiam, & ratio eſt, quia hominum virtus non procedit indiuiſibiliter ab eſſentia, ſed dependet ab organis, quæ in vno ſæpè ſunt debiliora, quàm in alio.

Caput 3. De Cognitione Angelicâ.

QVæres 1. Quod ſit mediumcognitionis Angelicæ. ℞. Difficultas eſt, an Angelus intelligat per ſpeciem, nam, cùm intellectùs ſit potentia ſpiritualis, non bene videtur quomodò poſſit intelligere res materiales per ſe, ergo ſi intelligat, intelligit per ſpecies. Quæritur vltrà, quomodò habeat illas ſpecies, nam ſpecies non poteſt ſibi formare, vt homo, quia debent eſſe partim materiales,& partim ſpirituales; Angelus autem nihil materiale poteſt operari: Quare Theologi & Philoſophi communiter aſſerunt Angelum intelligere per ſpecies concreatas, infuſas à Deo immediatè; quæ quidem ſententia non eſt exigui momenti ob auctoritâtem eorum, qui illam tuentur, & conſequenter, licèt eam refutare non auſim, mihi tamen placet alia via hâc

quæ-

quæſtionem ſoluendi, & dico, Angelum ad intelligendm rem quantumuis materialem nullâ indigere ſpecie, ſiue inſusâ, ſiue a rebus acceptâ, quia ſine illâ optimè ſaluatur intellectio Angelica, quod ſic oſtendo: queuis res, etiam materialiſſima ſubit rationem *veri* tranſcendentalis, ſecundùm quàm præcisè intelligatur: hæc autem ratio *veri* in ſe non eſt materialis, ſed ſpiritualis, ergo ad huius intellectionem non oportet recurrere ad aliquàm ſpeciem; quod autem ſit ſpiritualis probo quia eſt obiectum formale intellectus. Secundò ſi Angelus intelligat per ſpeciem côcreatam, nihil vnquàm noui poteſt intelligere, quia iam antè à ſuâ creatione habuit obiectum præſens per ſpeciem, ergo iam intellexerat; conſequens videtur abſurdum, quia ſic futura contingentia præuideret, quod infrà improbabo.

Dices. Contra fundamentum adductum, quòd veritas ſit ratio ſpiritualis. Veritas rei, & entitas rei ſunt idem, ergo ſi entitas eſt materialis, etiam veritas rei. ℞. Eſſe idem materialiter, & identicè, non formaliter, & obiectiuè.

Dices. 2. Hâc ratione etiam ſaluarem intellectionem in homine, & tamen admiſimus ſpecies intelligibiles in illa. ℞. Ratio eſt diſpar, quia non attingit obiectum ibi ſufficiêter proportionatum propter ſenſum.

Dices. 3. Angelus habet ſpeciem expreſſam, ergo & impreſſam. ℞. Negando conſequentiam, nam etiam Pater Diuinus habet ſpeciem expreſſam, non tamen impreſſam:

Quæ-

Quæres 2. An Angelus intelligat immediatè quidditates rerum in ſeipſis. R. In nobis experimur, nos per argumenta, & concluſionum illationes multa inquirere, vt patet in omnibus ſcientijs humanis, & ratio eſt, quia res immediatè in ſeipſis non cognoſcimus, ſi enim quidditatem rerum cognoſceremus, fruſtra illas per argumenta indagaremus: modò ad quæſitum dico affirmatiuè, cùm enim intellectus Angelicus ſit omninò independens a ſensù, ſine vllo impedimēto fertur in obiectum, vt in ſe eſt, & ſic cognoſcit quidditatem rei, quatenùs veram: in Nobis res longè aliter accidit ob debilitatem potentiæ, & dependentiam à ſenſu; vndè fit, quòd Angelus in obiecto naturali non poſſit errare, vti Nos.

Dices. Angelus poteſt argumentari, & facere ſylogiſmum, ergo indagare veritatem per diſcurſum; ergo non intelligit res, vt in ſe ſunt quiddatiuè, immediatè. R. Angelus non poteſt argumentari, ſed bene facere materialem ſyllogiſmum, vt etiam in Deo fit, nam argumentari dicit inferre incognitùm ex cognito: Poteſt tamen vt dixi facecere argumentum materialiter, quatenùs quidditatiuè actu ſimplici cognoſcit neceſſitatem conſequentiæ.

Quæres 3. An Angelus ſecreta cordis cognoſcat. R. Arduà hæc eſt quæſtio, & vt verum fatear pauca argumenta videntur ſētentiam negatiuam conuincere, & eſt tamen communis, quàm quidem veram puto auctoritate potiùs, quàm efficaci ratione ductus; nihilominùs, quantum poterimus,

eam ſtabiliemus, ac primò dicitur 2. Paralip. cap. 6. de Deo. *Tu ſolus noſti Corda filiorum hominum.* Secundò S. Thomas. eam tali ratione probat: voluntas, cùm ſit libera in ſuis actibus, poteſt celare illos, quos vult, & manifeſtare illis, quibus vult, ſed hæc ratio poſſet quidem valere de actibus voluntatis, ſed non intellectus; vndè rationem potiùs ex natura actus deſumendam puto, qui eſt immanens, & conſequenter non poteſt extra ſuum principium elicitiuum prodire; nullus autem actus, vt eſt immanens, à potentia exteriori percipitur, vt in nobis experimur.

Dices. Talis actus eſt ens verum, Angelus cognoſcit omne ens verum ergo &c. R. Ad minorem, quòd intelligat omne ens verum, dùm illi objicitur, non aliter, vt hic contingit.

Quæres 4. An Angelus certò ſciat futura contingentia vel abſentia. R. Quoad futura abſolutè negatiuè, quia deeſt præſentia obiecti ad potentiam, quæ vt ſæpe dixi requiritur. Quoad abſentia dico poſſe intelligere per ſpeciem impreſſam, ſi obiectum tale ſit, vt poſſit illius ſpecies imprimi, & ſic intelligit Angelus cogitationes alterius abſentis, circa quod.

Quæres 5. Quomodò Angeli loquantur inuicem. R. Senſus eſt, quomodò inuicem ſignificent ſuas cogitationes, vel volitiones; cùm enim dixerimus, Eum non cognoſcere omnes cogitationes cordis abſolutè: meritò quæritur, quomodò illas inuicem reuelent. Aliqui putant, quòd id præſtet per ſigna quædam ſpiritualia, quæ in ſe producit, Alij per ſigna

ſigna ſpiritualia, quæ producit in Alio, cui loquitur, Alij per alia id fieri putant. Probabilius eſt, quòd id præſtet imprimendo ſpeciem intelligibilem in mente illius, cui loquitur; hoc autem fit per modum obiecti ſe reuelantis, cui vult, nam ſi hoc faceret efficiendo in ſe, vel in alio aliqua ſigna, ſic nemini determinatè poſſet loqui, ſed omnibus, quia appareret ſignum externum, vndè non commodiùs, quàm per ſpeciem impreſſum explicatur.

Caput 4. De voluntate Angelicâ.

QVæres 1. An voluntas Angelica ſit flexibilis. ℞. Negat Angelicus Doctor 1. parte quæſt. 64. art. 2. in tantum, vt ſi Dæmoni daretur copia ſe iterum conuertendi ad Deum, id ipſum recuſaret, quia putat omnem actum voluntatis quodammodò imperari ab intellectu, & conſequenter non poteſt mutari actùs voluntatis, niſi mutato iudicio; intellectus autem Angelicus in eo, quod ſemel intelligit, non errauit, ſed omnia circumſpexit; vndè tunc talis volitio ſecuta eſt, quam impoſſibile ſit mutari: verùm aliter ſentiunt Alij, nec forſan malè, ſæpè enim voluntas poteſt operari renitente iudicio intellectus iuxta illud.

——— video meliora, proboque,
Deteriora ſequor. ———

Et quidem ipſi in nobis experimur, quòd non obſtante, quòd intellectus dicat Deum non eſſe in ſe odibilem, voluntas tamen poteſt elicere actum odij Dei, vel non, prout lu-

Iubet: huius vlterior inquiſitio materiæ, eſt altioris diſciplinæ; vndè his paucis ſupſedeo.

Quæres 2. In quæ Peccata poſſit voluntas Angelica cadere. R. Cum S. Thomá vbi ſuprà omnia peccata, quoad culpam poſſe eſſe in Angelis, non quoad affectum. Prima pars patet, poteſt enim Angelus velle omnia peccata committi, & ſic in illo reperiuntur quoad reatum, ſeu culpam, ſicut, qui vult alium furari, licèt ipſe non habeat affectum furandi, contrahit tamen culpam illius. Poſterior probatur, quia multa ſunt peccata, quorum affectus pendet à ſenſu, vt luxuria, gula &c. cùm autem in Angelo, nec materia ſit, nec ſenſus, conſequenter &c. ſed tantùm omnia ea, quorum obiectum eſt ſpiritualè, vt eſt ira, ſuperbia, inuidia, & huiuſmodi.

Dices. Ira, (inquit Philoſophus) eſt *ebullitio ſanguinis circa cor* lib. 1. de Animâ t. 16. hoc non poteſt eſſe in Angelo, quia, nec cor, nec ſanguinem habet ergo &c. R. Hanc eſſe definitionem materialem iræ, vt competit animalibus, vndè ibidem Philoſophus eam aliter, ſecundùm ſuum eſſe formale definiuit, quòd ſit *appetitus vindictæ in inimicum.*

Quæres 3. Quod fuerit primum peccatum Angeli. R. Putat Origines fuiſſe luxuriam, niſus loco Geneſ. cap. 6. vbi *videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, & intelligit per *filios Dei* Angelos, vt & Valeſius in ſua Philoſophiá ſacrâ, ſed, ſiuè ibi intelligantur Angeli, ſiuè non, non tamen ex eo loco colligitur peccatum Angelicum

licum fuiſſe luxuriâ, quia, quando Dæmon ſimilia facit, hoc fit ſine proprio motu accepto ſemine ab homine, vt optimè docet Martin. Delrio de arte magicâ lib. 2. quæſt. 15. Ad propoſitum patet, ſententiam Origenis eſſe falſam ex dictis, quia Angelus immaterialis eſt; Alij itaq; dicunt fuiſſe ſuperbiam, quinimò S. Thomas, 1. p. quæſt. 63. a. 2. in corpore ait neceſſariò fuiſſe ſuperbiam, ob hanc rationem, quia omnis tranſgreſſio legis eſt ſuperbia, ſed hoc non facilè crediderò, quia ſic omne peccatum haberet ſpecialem malitiam ſuperbiæ. Colligitur itaque ex varijs ſcripturæ locis, ac potiſſimum Iſaiæ cap. 14. vbi ait *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, & paulò infrà: *qui dicebas in corde tuo in Cælum cōſcendam ſuper aſtra dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium & ſimilis ero altiſsimo.* Et Ezech. cap. 28. apertiſſimè id ipſum conuincitur.

Dices. *Inuidiâ Diaboli mors intrauit in mundum.* Sapient. 2. ergo eius primum peccatum videtur fuiſſe inuidia, & non ſuperbia. R. Hoc dici reſpectu Noſtrûm, quia ſcilicèt ex inuidiâ Diaboli nos Homines inducti ſumus ad peccatum, & ſic mors noſtra intrauit in mundum.

Quæres 4. An Angelus potuerit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis. R. Negat S. Thom. eò quòd opera primi inſtantis refunduntur in Creatorem: placet nihilominùs oppoſitum, nàm, quidquid ſit de illâ ratione, hoc tantùm intelligendum eſt, quòad

opera

opera phyſica, non moralia, & libera; ſi enim Angelus tunc potuerit mereri (vt concedit ipſe S. Thomas) cur non & demereri; cùm vtriuſque par videatur ratio. Reliqua, quæ circa hanc materiam afferuntur, Theologos, non Metaphyſicos ſpectant.

Tractatus Octauus.

De Accidente, & Inhærentiâ.

Caput 1. De Accidente in genere.

QVæres 1. Quid ſit Accidens. ℞. Ordinariò ſic definitur *ens in alio* id eſt, quod ex ſuâ naturâ requirit alteri inhærêre, quid autem ſit inhærére, alibi inſinuaui ex verbis Ariſtotelis *id in ſubiecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt, & non vt pars, vt ſit autem ſcorſim ab eo, in quo ineſt, fieri nequit.*

Quæres 2. An omne accidens poſſit per Deum priuari actuali inhærentiâ. ℞. Fide conſtat aliqua poſſe, vt patet in Euchariſtia: ad quæſitum tamen ſimpliciter dicendum eſt negatiuè, quia modus non poteſt actuali inhærentiâ priuari, & ratio eſt, quia dicit eſſentialem reſpectum ad ſubiectum actuale, ſic ſeſſio, ne per Deum quidem poteſt à ſubiecto ſedente ſeparari.

Quæres 3. Vnde ſingularizentur Accidentia. ℞. Putant Plurimi, Accidens induiduari, à ſubiecto, non quidem, ita, vt in eo actu exiſtat, ſed cum connotatione ad illud vnum deter-

terminatè ſubiectum: ſic albedo in Euchariſtia eſt hæc albedo, non quia ſuſtentatur in hoc pane, quia non eſt, ſed dicit naturalem connotationem ad hunc panem. Verùm puto Ego, quodlibet Accidens, vt & ſuprà de ſubſtantia diximus, immediatè à ſe indiuiduari, & ratio eſt, quia ſublato omni ſubiecto actuali, & connotatione ad hoc numero ſubiectum, poterit dari Accidens, ſaltem per Deum, quod quidem erit ſingularitatum neceſſariò, ergo indiuiduatio accidentis ſufficienter ſine connotatione ſubiecti habetur; 2. quia tunc ratio indiuiduationis erit relatiua, vbi tamen puto huius falſitatem apertiſſimè manifeſtari, quia (ex communi ſententia) omne eſſe abſolutum rei, præcedit naturâ totam lineam relatiuorum; ergo & indiuiduatio.

Diuiditur Accidens in nouem genera generaliſſima, vt in Logica inſinuaui: Nos hîc aliqua magis metaphyſicalia perpendemus, quæ in Logica, pro breuitate, ruditer tranſcurrimus, & ſit.

Caput 2. De Quantitate, & precipuè de Numero.

QVæres 1. Quæ ſit Eſſentia Quantitatis. R. Definit Ariſt. Quantitatem *ſecundùm quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot*, quæ eſt potius ratiò ſui eſſe denominatiui, quam eſſentiæ illius declaratio, quam in præſenti inquiro: variæ autem circa hoc ſunt opiniones: Alij enim eſſentiam Quantitatis in eſſe menſuræ ſitam

putant

putãt: Alij in habêre partes, vt ſic: Alij in diuiſibilitate, Alij in impenetrabilitate, Alij in extenſione ſituali conſtituunt: nos breuitatis ſtudio ſingula omittemus, & propriũ ſenſum cum ſuo fundamento exponemus: Dico igitur eſſentiam Quãtitatis conſiſtere in habêre partes extenſas: dico *extenſas* non continuè prçciſe, ſed quomodocũq; Probatur per excluſionem omniũ reliquorum, non enim in eſſe menſuræ, non in diuiſibilitate, non in impetrabilitate conſiſtit, quia hæc omnia ſupponunt extenſionem, & conſequenter non ſunt de conceptu primò conſtitutiuo quãtitatis, ſed ab illa profluentes proprietates: non etiam in habére partes, vt ſic, quia etiam compoſitum phyſicum habet partes, nec tamen ideo dicitur quantum, quia partes iſtæ non ſunt de genere Quantitatis, non etiam in extenſione ſituali, quia tunc prædicamentum Quantitatis ſubalternaretur prædicamento ſitus, nec id conuenit omni Quantitati, vt patet in tempore; ergo remanet, vt in extenſione partium conſtituatur.

Quæres 2. An Numerus ſit ens per ſe, & Quantitatis ſpecies. ℞. Affirmatiuè, vti patet ex dictis in logica, ſed difficultas eſt, quia ens per ſe debet eſſe quid vnum: numerus autem non videtur quid vnum: Dico nihilominùs, numerum eſſe ens verum per ſe, & quid vnum, ſcilicet formaliter, quatenùs omnes vnitates conſtituunt vnum aggregatum, licèt tamen materialiter multa ſint, quæ includit formaliter.

Dices. Ens per ſe, & quid vnum debet habere partes vnitas, in numero autèm partes non-

non poſſunt eſſe vnitæ, ſed debent eſſe diſcretæ. R. Etiam ſuo modo eſſe vnitas, non quidem continuè, vt benè conuincit argumentum, ſed ſub vna ratione formali huius, vel illius numeri.

Dices 2. Omnis Quantitas eſt Diuiſibilis iuxta Ariſt. numerus autem eſt indiuiſibilis, ergo non eſt Quantitas: minor patet ex maxima *numerus conſiſtit in indiuiſibili*. R. Hoc argumentum, ſi quid probaret, valeret etiam in Quantitate continua, vt iam oſtendam, ſed dico numerum in ſuo eſſe vltimo ſpecifico eſſe indiuiſibilem, vti ternarius, quoniam, ſi vnitas addatur, fit quaternarius, & ſi dematur, fit binarius, vndè hoc ſenſu dicitur conſiſtere in indiuiſibili, vti etiam rerum omnium ſpecies infimæ, ſic linea bipalmaris conſiſtit in indiuiſibili, vt, ſi quid addatur, vel dematur, non remaneat bipalmaris: At ſi præcisè conſideretur in eſſe Quantitatis, ſic eſt diuiſibilis, nam ſic numerus ternarius diuiditur in tres vnitates, quod ſufficit.

Quæres 3. An vltima vnitas ſit illa quæ conſtituit numerum in eſſe ſpecifico. R. Senſus eſt, an e. g. in numero octonario octaua vnitas ſit illa, quæ conſtituit illum in eſſe octonarij, & dico affirmatiuè, & probo. Illud dat alicui ſpecificum eſſe, quod diuidit ipſum ab omni alio, & in proprio eſſe vltiono proximè conſtituit: huiuſmodi eſt illa vnitas, quippe, quia poſitâ, ponitur octonarius, & quâ ſublatâ, tollitur, ergo &c.

Dices idem valebit dicere de prima vnitate, nam hac ſublatâ auſertur eſſe octonarij. R. Auſert quidem, ſed non ponit; vel ſi ponitur

tur non ponitur proximè.

Dices 2. Nec etiam ſemper ponitur ad poſitionem octauæ vnitatis, ergo nulla ſolutio: probo antec. nàm in numero nonario etiam eſt octaua vnitas, nec tamen illum numerum ponit in eſſe vltimo octonarij. R. Semper eodem modo eſſe numerum octonarium, vti eſt octaua vnitas, nam ſi vnitas octaua ſit vltima, nec etiam numerus tranſcendet eſſe octonarij, ſi non ſit vltima, ſed includatur etiam octonarius, non eſt vltimus, ſed includitur à nonario.

Quæres 4. Quomodo vnitas vltima conſtituat numerum in eſſe ſpecifico. R. Iam vidimus vltimam vnitatem conſtituere numerum in eſſe ſpecifico; quæritur modò, quâ ratione, nàm dico quòd duo sũt modi, quibus id poteſt contingere, aut per modum formę phyſicæ, aut per modum metaphyſicæ, ſeù differentiæ: non videtur per modum formæ phyſicæ, nam hæc ſolum dicitur in ordine ad ſubiectum; non per modum metaphyſicæ, quia hæc debet prædicari in concreto de toto, nec tamen hoc verificatur in præſenti Dico tamen fieri per modum formę phyſicæ cum Ioanne Sãchiez de prædic. Quant. quęſt. 26. & ratio eſt, quia ſicut ſe habet forma hominis, anima rationalis in determinando materiam ad eſſe hominis, ita vltima vnitas in determinando ſubiectas vnitates ad eſſe octonarij.

Ad rationem oppoſitam reſpondet Sanchiez, quòd de ratione formę phyſicæ non ſit reſpectus ad ſubiectum, illi precisè inhærendo, ſed illud determinando, vt ait de ani-

mâ rationali, quam dicit non inhærere materiæ, hæc tamen ſolutio nullo modo placet, quoniam non minùs anima rationalis inhæret materiæ, dum ilum informat, quàm aliæ formæ ſubſtantiales, cum hac differentia, quòd anima rationalis poſſit ſine materia exiſtere, non aliæ formæ; neque enim intelligo, quomodò materia poſſit informari ab anima, ſi anima illi verè non inhæreat: dico itaquè hanc vnitatem verè in eſſe ſubiecto, ſcil. rei numeratę, vt & reliquæ vnitates: hoc intereſt, quòd vltima vnitas per modũ formæ vltimæ, vt anima rationalis in homine, aliæ vnitates; vt formę diſpoſitiuæ, ſeu non vltimæ, vt in homine forma oſſis, carnis, & cęterę ſubordinatę ipſi Animę rationali.

Hęc de quantitate diſcretâ, de continua Vt ſuprà lib. 3. phyſ. c. 2.

Caput 3. De Relatione.

QVæ & quotuplex ſit Relatio, diximus ſuprà in logica, circa quam.

Quæres 1. Vtrum Relatio prędicamentalis ſit ens reale. R. Ratio dubitandi eſt, quia talis Relatio aduenit rei iam plenè in ſuo eſſe reali conſtitutę, ergo non aduenit illi, vt ens reale, ſed rationis: oppoſitum tamen eſt Ariſtotelis, & cõmune, & patet ex eo, quòd diuiſiò entis in decem prędicamenta ſit realis, ergo eius membra diuidentia ſunt realia. 2. independenter ab intellectû pater, ſic reſpicit filium, vt impoſſibile ſit alterum ſine altero eſſe. Ad rationem oppoſitam dico Relationem prędicamentalem aduenire rei

adę-

adęquatè in ſuo eſſe abſoluto conſtitutę,non in eſſe relatiuo, quod vrget.

Quæres 2. Quomodò Relatio diſtinguatur à ſuo fundamento. ℞. Loquor de fundamento proximo, de quo in Logica, exemplum ſit: albedo in duobus parietibus albis eſt fundamentum proximum Relationis ſimilitudinis nũc quæritur, quomodò Relatio ab albedine diſtinguatur. Variæ ſunt opiniones; Alij enim ſolà ratione ratiocinatâ diſtingunt, vt Suarez, Alij realiter, vt rem à re, ita Caietanus, Alij modaliter, quos citat, & ſequitùr Morandùs. Puto Ego cum Suarez diſtingui ſolà ratione, ſic, vt Relatio albedinis non ſit entitas ſuperaddita ipſi albedini, quia nullum ſufficiens fundamentum in contrarium allegatur, vt patebit ex obiectionibus.

Dices 1. Ea, quæ realiter ſunt idem, non poſſunt inuicem ſeparari, atqui ſeparatur albedo à Relatione, ergo non ſunt realiter idem, maior ſupponitur, min. probatur, ſi detur enim tantùm vnum ſubiectum album, datur albedo, & non Relatio. ℞. Negando minorem: ad probationem, dico tunc non auferri Relationem, dicit enim adhuc Relationem ad album poſſibile.

Dices 2. Quæ habent eſſe oppoſitum non poſſunt realiter identificari, huiuſmodi ſunt eſſe abſolutum albedinis, & relatiuum; ergo &c. ℞. Negando minorem: nulla enim ſpecies oppoſitionis hic poteſt afferri, non relatiua, quia hæc ſupponit duo extrema abſoluta; non priuatiua, quia hæc dicit tantùm vnum extremum poſitiuum, non contradictoria, quia hęc eſt inter extremum finitum,

& infinitum. Quæ eſt ergo hæc noua ſpecies oppoſitionis?

Dices 3. Multa fundamenta ſunt ſubſtantialia Relatio autem eſt accidens; ergo non ſunt idem, quia aliàs eſſet ſubſtantia, & accidens. R. Dicunt Aliqui, teſte Morando, ex doctrina Suarez Relationem eſſe accidens prædicabile, quod poteſt eſſe idem cum ſubſtantia prædicamentali. Sed hæc ſolutio nulla eſt, nam Relatio eſt accidens prædicamentale; Dico igitur nullum fundamentum proximum relationis eſſe ſubſtantiam in entitate; poteſt tamen dici aliquid ſubſtantiale, quoad connotatum: Explico me; in relatione paternitatis fundamentùm huiuſ proximum eſt actualis generatio actiua, quæ quidem in ſe merum eſt accidens, licèt quoad connotatum ſit aliquid ſubſtantiale, ſcilicet quoad connotatum ſui termini; dico autem *actualis generatio*, vt innuam me non intelligere potentiam generatiuam, quia hæc verè eſt ſubſtantia, nec ab Anima realiter diſtinguitur, vt ſuprà, nec eſt fundamentum proximum.

Quæres 3. Vndè ſpecificetur Relatio. R. Variæ ſunt opiniones; Alij enim putant diſtingui penès terminos, Alij penès fundamẽta, Alij penès alia. Ego intrinſecè penès ſolum fundamentum puto ſpecificari, non verò à termino, videtur quoad primam partem eſſe D. Thomæ 3. p. q. 35. art. 5. vbi dicit, quòd ratione duarum natiuitatum in Chriſto ſint quidem duæ filiationis, licèt ex parte termini tantùm ſit vna: interea probatur aſſertio: Terminus eſt poſterior Relatione,

tione, ergo Relatio ab illo non ſpecificatur: antec. probatur, quia id, in quod aliquid terminatur eſt poſterius ipſo: ſecundò Relatio creaturæ ad Deum non poteſt realiter ſpecificari à termino, quia in Deo nihil eſt reale, ergo &c. Quòd autem ſpecificetur à fũdamento, probatur inductione, nam paternitas dicitur, quia fundamẽtum eſt generatio actiua; filiatio, quia fundamentum eſt generatiò paſſiua, & ſic de reliquis.

Dices. Idem ſæpè fundamentum fundat diuerſas Relationes, ergo non eſt ſufficiens ratio illas ſpecificandi: conſeq; tenet, antec. probatur, nam eadem albedo fundat Relationem ſimilitudinis reſpectu alterius albedinis, & diſſimilitudinis reſpectu nigredinis, ergo &c. ℞. Diſſimilitudo non eſt vera Relatio, ſed potiùs negatio Relationis.

Dices 2. Pater æternus ex vno fundamento, ſcil. Eſſentia Diuina habet duas Relationes, ſcil. paternitatem, & Reationem ſpiratoris, ergo &c. ℞. Negando ſuppoſitum, quod eſt Scoti 3. diſt. 8. nam Eſſentia Diuina non eſt immediatum principium vtriuſque Relationis, ſed Generatio, & ſpiratio actiua.

Quæres 4. An multiplicatis terminis numero multiplicentur Relationes. ℞. Senſus eſt, an v. g. multiplicatis filijs multiplicandæ ſint paternitates reſpectu eiuſdem patris, nec dubium eſt, quin, ſi Relatio ſit talis, vt ex ſe reſpiciat plura, vt contingit in vniuerſali, maneat eadem Relatio, difficultas eſt ſi tota Relatio ſaluetur in vno termino. Negat S. Th. Affirmat Scotus. ll. cc. Placet ſenten-

tia D. Thomæ, Duo enim accidentia ſolo numero differentia nequeunt eſſe in eodem ſubiecto, vt patet inductione, ſi enim lumen addatur lumini, ſit vnum lumen, & ſic de ceteris: ratio à priori eſt, quia, ſicut contraria iuxta ſe poſita neceſſariò agunt, ita duo accidentia eiuſdem ſpeciei neceſſariò coeunt, ad diſtinctionem diſparatorum, quæ, nec agunt, nec coeunt.

Dices cum Scoto. Duæ ſpecies phantaſticæ eiuſdem ſpeciei ſunt in eodem ſenſu, ergo duo accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: antec. prob. nàm aliàs, deletâ vnâ ſpecie in ſenſu, aliquis non poſſet de nouo imaginari, niſi acquireret nouā ſpeciem. ℞. primò negando antec. ad cuius probationem concedo totum, nec eſt inconueniens: ſecundò dato antecedenti nihil vrget, nam ille probat de accidente intentionali, nos de reali.

Quæres 5. An Relatio terminetur ad abſolutum, vel relatiuum. ℞. Senſus eſt, quænam ſit ratio formalis, ſecundùm quam terminus terminat Relationem, an abſoluta, an relatiua, e. g. filius, qui eſt terminus paternitatis certo certiùs debet in ſe habere aliquam rationem, ſecundùm quam, non ſolùm fundat Relationem filiationis, ſed præterea ſecundùm quam terminat Relationem paternitatis, nam, niſi in hoc aliquid ſpeciale haberet, omnes indifferenter poſſent terminare paternitatem. Quæritur ergò, an iſta ratio ſit aliquid abſolutum in ſe, vel relatiuum. Caietan. 1. parte quæſt. 18. art. 7. ait eſſe relatiuam, & ratio eſt, quia e. g. ſi

Ioan-

Ioannes filius Petri ſit priùs naturâ aliquid abſolutum, quàm relatiuum, puta homo, quàm filius in illo priori conſiderabitur pater eius ſine filio, quòd eſt abſurdum, vndè ait illum nullatenùs terminare paternitatem, niſi ſub ratione relatiui; Alij abſolutè ſentiunt terminare ſub ratione abſoluti, quia Relatio Creaturæ terminatur ad Deum, non vt relatiuum, quia Deus non reſpicit Creaturas Relatione reali, vt ſuprà, ergo, vt abſolutum. Sueſſanus 5. metaph. diſp. 14. cap. 4. Diſtinguit terminum Relationis, vel, vt ſubiectum Relationis, vel, vt formalis terminus eſt ingrediens definitionem fundamenti: priori modo dicit eſſe abſolutum, non poſterior: placet hæc opinio, & hoc certè videntur conuincere argumẽta vtrimque allata.

Caput 4. De Qualitate, & præcipuè De Habitu.

QVæres 1. Quid ſit Qualitas. R. Deſcribit eam Philoſophus, vt in logicâ dixi *Qualitas eſt, ſecundùm quam quales eſſe dicimur*: quæ deſcriptio non explicat naturam qualitatis, ſed potiùs rationem eius denominationis proponit, ſic enim hum anitas dici poteſt, iuxta quam homines eſſe dicimur, relatio, iuxta quam relatiui; actio iuxta quam agentes & ſic de cæteris. Qualitate nihil notius ſenſui habemus, nihil forſitan intellectui ignotius, hoc teſtatur communis DD. inſudatio, quorum multi eius naturam, & eſſentiam explicare conati, pau-

ci conſecuti videntur Aliqui igitur eam eſſe diſpoſitionem ſubſtantiæ dixere, vt Sanchiez de prædic. Qualit. quæſt. 55. citans pro ſe Sanctum Thomam 1. par. quæſt. 28. art. 2. ſed obijcio Quomodo albedo eſt diſpoſitio ſubſtantiæ? hoc explicet, qui hanc eſſe entitatem Qualitatis metaphyſicè conſideratam dixit, poſtquam paulò antè, ſine modo Suarez ſententiam carpſit, qui rem melius aſſecutus videtur, vt infrà oſtendam: ſed poſt hanc, aliam qualitatis conſiderationem proponit, ſcilicet; quòd ſit modus ſubſtantiæ. Sed contra, nam multæ Qualitates ſeparantur à ſubſtantia, ergo non ſunt modi ſubſtantiæ, quia modus non poteſt ſeparari à ſubiecto. Hic iterum pro ſe citat Angelicum Doctorem 1. 2. quæſt. 49. art. 2. Alias multas adducit opiniones Suarez Diſp. 42. ſect. 1. & propriam adfert dicendo eſſe ornamentum ſubſtantiæ, quæ quidem non abſolutè admittẽda eſt, nam nec omnis Qualitas eſt ornamentum ſubſtantiæ, nec ſola, ſed tamen plus placet prior. Puto ergò formalem eius rationem differentialem conſiſtere in eſſe abſoluto penetrabili, vndè eſſentialiter eam ſic definirem, *Accidens abſolutum penetrabile*, nam nihil aliud video, per quod à priori ab omni alio diſtinguatur, & in proprio eſſe determinetur, per ly *accidens* excluditur eſſe ſubſtantię, & ponitur loco generis, per eſſe *penetrabile* excluditur quantitas per *abſolutum* reliqua omnia prædicamẽta, nam illa omnia ſunt relatiua, Actio enim reſpicit Paſſionem, & è cõuersò, Vbi, Quando, Situs, & Habitus connotant etiam reliqua prædicamen-

camenta,nam Vbi, Quãdo,& Situs quantitatem reſpiciunt;Habitus verò ſubſtantiam, & qualitatem.

Dices. Ergo omnia alia reducuntur ad prædicamentum relationis, & conſequenter non erunt genera generaliſſima, nec propria prædicamenta. ℞. Negando ſequelam,licèt enim ex ſe ſint relatiua conſiderantur tamen in propria Cathegoria, vt abſoluta, præcisà relatione.

Quæres 2. Quod ſit ſubiectum habitus. ℞. Suppoſità definitione habitus tradità in Logicà; in præſenti aliquas circa illum difficultates mouebimus,& primò, quod ſit eius ſubiectum, circa quod varij variè ſentiunt, Alij enim ſolas potentias ſpirituales; puta intellectum, & voluntatem, & memoriam aſſignant, Alij,etiam potentias ſenſitiuas appetitiuas adiungunt, Alij etiam membra externa addunt. Puto ego,tàm potentias ſpirituales,quàm ſenſus interiores eſſe ſubiectum habitus, & non membra, vel ſenſus exteriores. Prima pars probatur, quia illæ potentiæ ſunt ſubiectum habitus, quæ poſſunt in ſuo exercitio benè, vel malè operari, & emendari, nam in hoc diſtinguitur habitus à potentiâ, quòd hæc dicat ſimpliciter poſſe operari, ille autem benè, vel malè: ſed huiuſmodi ſunt ſenſus interiores; poſſunt enim per actus iteratos meliùs res apprahendere. ergo &c. 2. Pars ſic probatur, nam ſenſus exteriores, & membra externa non facilitãtur,vel emẽdantur primariò per actus,vel infuſionẽ Habitus, ſed vel per directionem, vt mẽbra exrerna,vel per medelas,& actiones

nes actuorum, vt fit in ſenſibus exterioribus, puta viſu.

Dices Membra externa acquirunt quamdam facilitatem in operando, vt experientiâ conſtat. ergo & hæc ſunt ſubiectum habitus. R. Negando ſequelam, tunc enim non ſunt membra, quæ immediatè perficiuntur, ſed anima, quæ mouet membra.

Quæres 3. Quomodò acquiratur habitus. R. Aliqui immediatè à Deo infunduntur, & dicuntur infuſi: & tales ſunt fides, ſpes, & charitas, alij per frequentatos actus habentur, & dicuntur acquiſiti, vt habitus citharizandi.

Quæres 4. Quomodò augeatur habitus. R. Omnes conueniunt, augeri per actus frequentatos, difficultas nunc eſt, an etiam per per actus remiſſiores, quàm ſit ipſe habitus. e. g. An habitus citharizationis intenſus ad ſex poſſit augeri ad ſeptem, per actum intenſum ad quatuor, qui proportionaliter deficit ab intenſione habitus, & dico negatiuè. Eſt D. Thomæ 1. 2. q. 52. art. 3. colligitur ex Ariſt. 2. Etich. cap. 2. dicente quòd aliqui actus diminuunt habitum, ergo non omnes intendunt: rationem aſſignat D. Th. a priori, nam actus generant habitus ſibi ſimiles, ergo remiſſus actus non poteſt intendere habitum ſibi diſſimilem.

Dices. Gradus vnus caloris intendit calorem intenſiorem, ergo gradus vnus actus habitualis intendit habitum intenſiorem. R. Ob hoc argumētum Aliqui concedunt, etiā materialiter habitum augeri quoad entitatem, non formaliter in ratione habitus; ita

.Mo-

Morandus Tr. de habitu q. 4. n. 349. ſed re-
uera non poſſum ita diſtinguere materialem
entitatem habitus à ſeipſo formaliter conſi-
derato, vt vno modo intendatur, non alio: di-
co ergò, rationem diſparem eſſe, quia totum
eſſe habitus conformatur intenſiuè actibus,
vltimis à quibus generatur, & augetur, ſed
hoc non fit in priori caſu, vbi ſufficit addi
gradum vnum ad plures, neque qualitas vl-
timis agradibus neceſſariò conformatur.

Quæres 5. Quomodò operatur habitus. ℞. In genere principij efficientis, eſt commune contra Durandum, & probatur auctoritate Ariſt. 2. Ethic. cap. 1. vbi ait *habitum, poſt quam genitus eſt, producere operationes ſimiles illis; per quas genitus eſt.*

Quæ dicenda de reliquis prædicamenti, reſtabant, alys locis ſufficienter diximus, vti de Actione, & Paſsione lib. de gen. cap. 3. de Quando lib. 4. phyſ. cap. 3. de Vbi lib. 4. phyſ. cap. 1. de Habitu & Situ pauca occurunt.

Tractatus Nonus.

Caput vnicum De identitate, & diſtinctionibus entis realis.

QVæres 1. Quid ſit identitas, & diſtinctio. ℞. hæc duo oppoſita optimè per rationes oppoſitas exponuntur, eſt autem identitas *ratio ſecundùm quam plura vnum eſſe dicuntur*, vti gradus metaphyſici, puta animal, & ſubſtantia in homine realiter ſunt idem, quia licèt formaliter ſint plura, tamen realiter ſunt vna entitas. Diſtin-

ctio è contrà eſt *ſecundum, quam aliqua ſunt plura:* ſic eadem realiter entitas in homine formaliter, diſtincta eſt in eſſe animalis, & rationalis.

Quæres 2. Quotuplex ſit diſtinctio realis. ℞. Non agam de omnibus diſtinctionibus, ſed de generalioribus tantùm. Eſt autèm diſtinctio realis æquiuocum, aliquando enim ſumitur pro omni eâ, quæ præuenit operationes intellectus, vt in titulo huius tractatus, aliquando ſtrictiùs, vt quæſito ſequenti explicabitur: interea ſi priori modo conſideretur pot ores eius ſpecies ſunt, real s, vt res à re, modalis, formalis, virtualis.

Quæres 3. Quæ ſit diſtinctio realis, vt res à re. ℞. Eſt *diſtinctio, quâ duo vel plura inter ſe ita diuerſificantur, vt abſolutè conſtituant plures res,* & eſt maxima omnium diſtinctionum, quam dari probatione non indiget; nemo enim dubitat ſe realiter diſtingui à Beſtiâ, niſi ſe Beſtiam eſſe conſentiret: huius ferè vnicum ſignum eſt, quoties aliqua, per Deum, poſſunt ab inuicem ſeparari, ſed hoc ſignum non in omnium ſententia poteſt cõuerti cum iſtâ diſtinctione, nàm illi, qui ſtatuunt potentias Animæ realiter diſtinctas ab Animâ non dicunt, vel potentias ab Animâ, vel è conuersò poſſe ſperari.

Quæres 4. Quæ ſit Diſtinctio modalis. ℞. Eſt *illa, quæ intercedit inter rem, & modum rei,* ſeù quando duæ ſunt entitates, ſed ſic, vt vna poſſit ab aliâ ſeparari, ſed non è conuersò: & illa, quæ ab alia poteſt ſeparari dicitur res modificata, alia dicitur modus, vt ſeſſio à ſubiecto, ne quidem per Deum poteſt ſepara-

parari, ſed ſubiectum benè à ſeſſione. Vndè ſeſſio dicitur modus, ſubiectum autem, puta homo, res modificata.

Quæres 5. Quæ ſit Diſtinctio formalis. R. Diſtinctio inuenta à Scoto, quàm vocat ex naturâ rei, comprehendit, tàm diſtinctionem realem, vt rei à re, quàm formalem; vndè immediatè illam diuidit in realem ex naturâ rei, & formalem ex naturâ rei; priorem quæſito 3. diſcuſſi, poſteriorem in præſenti: hæc præſens a Thomiſtis acerrimè impugnatur, qui quidem admittunt diſtinctionem formalem realem, vt vocant, ſed non eo modo, quo eam Scotus exponit, ſcien lum igitur diſtinctionem formalem eſſe, *quâ res ſecundum aliquem conceptum obiectiuum ante opus intellectus diſtinguũtur*, vt in homine animalitas & rationalitas, ita paſſim, tã Thomiſtæ, quàm Scotiſtę. Cardo igitur eſt difficultatis, an iſti conceptus obiectiui ſint plures entitates (non dico entia, ſed entitates) Affirmat Scotus cum ſuis, negãt omnes Thomiſtæ, putantque hanc diſtinctionem inuoluere contradictionem, quòd, vt clariùs intelligatur.

Quæres 6. An admittenda ſit Diſtinctio formalis ex naturâ rei. R. Exemplo res patebit; ſenſus igitur, eſt an animalitas in Petro ſit diuerſa formaliter entitas à rationabilitate: negant, vt dixi ſuprà, Tomiſtæ, affirmant Scotiſtæ, ego Thomiſtis adhærendum puto, tùm, quia vbicumque Scotiſtæ hanc diſtinctionem intrudunt, ſemper in minori diſtinctione res ſaluamus, tùm ob rationes ſequentes: arguo igitur. Animalitas in Petro, & ratio-

rationalitas non ſunt duo entia, ergo nec ſdue entitates: de antecedenti conuenimus, conſequentiam probo, quia iſta diſtinctio ent itatum, ſ ù realitatum eſt paſſio entis: ergo non poteſt extendi vltra ens, ergo vbicumque dabitur entitas diſtincta, dabitur & ens, ſed hic non dantur entia diſtincta, ergo nec entitates.

Dices. Definitio animalis eſt aliqua realitas, vt & definitio ſubſtantiæ, in eodem homine, ſed vna non eſt formaliter altera, ergo ſunt entitates formaliter diſtinctæ. R. Argumentum nihil concludere, primò quia continet plures, quàm tres terminos, ſecundò in minori fit æquiuocatio in voce *formaliter* nam ſi ſumatur ſenſu Thomiſtico, tunc non concludit in concluſione ſenſu Scotiſtico; ſi in minori ſumatur ſenſu Scotiſtico, tunc aſſumit, quod eſt probandum, & abſolutè negatur.

Quæres 7. Quæ ſit diſtinctio virtualis. R. Eſt *illa, quâ vna res habet plures virtutes in ordine ad plures effectus, vel obiecta*, ſic ſuprà diximus attributa Dei ab Eſſentiâ diſtingui, quia ſcilicet ſola eſſentia Dei habet virtutẽ omnium eff. ctuum, diciturque potentia in ordine ad effectus producibiles, bonitas in ordine ad eſſe appetibile, voluntas in ordine ab obiectum appetibile, quod Deus appetit; & ſic de reliquo.

Quæres 8. Quomodò diſtinguitur actus, & potentia. R. Puto eſſe propriam diſtinctionem non reducibilem ad aliquam ex dictis; non enim eſt realis, vt rei à rè, vel rei à modo, quia hæc ſupponit duas numero

ro diſtinctas entitates, potentia autem, & actus dicuntur ad eamdem entitatem: non formalis, quia hæc verſatur inter duos actus non inter potentiã, & actum: non virtualis, quia hæc dicitur per ordinem ad perfectiones effectuum, vel tendentiæ, in obiectum præcisè, & tamen diſtinguuntur aliquò modo, quia illa impoſſibile eſt ſimul eſſe, ergo eſt particularis ſpecies diſtinctionis.

Tractatus Decimus.

De Ente Rationis.

Caput I. de Ente Rationis in genere.

QVæres 1. Quid ſit ens rationis. R. Eſt, cùm intellectus concipit non ens per modum entis, ſeù, cui repugnat à parte rei exiſtere, & ſic definitur, *Ens habens eſſe obiectiuè tantùm in intellectu*, quid ſit eſſe obiectiuè, ſeù conceptus obiectiuus, ſuprà dixi tract. 2. cap. 1. quæſt. 2. ſenſus eſt igitur, quòd, cùm non ſit ens reale, tamen ſe obijcit intellectui ad modum entis realis: dicitur autem *tantùm*, quia etiam omnia alia entia realia poſſunt habere eſſe obiectiuè in intellectu, ſed non tantùm, verùm etiam extra intellectum.

Quæres 2. Quomodò fiat Ens rationis. R. Ratio dubitandi eſt, quia intellectus intelligendo format ens rationis, quomodò itaque illud intelligit? nàm ad intellectionem requiritur præſentia, & proportio obiecti intelli-

telligibilis ad potentiam intellectiuam, vel per ſe, vel per ſpeciem: Ens autem rationis, nec eſt proportionatum, nec præſens, vel per ſe, vel per ſpeciem; non per ſe, quia in ſe eſt purum nihil in ordine reali, & conſequenter non eſt proportionatum, vel præſens potentiæ reali; non per ſpeciem, quia ſpecies deſumitur ab ente, ens autèm rationis non eſt, antequàm ab intellectu formatur, ergo non poteſt ab ipſo ſpecies deſumi. Dico itaquè intelligi ab intellectu, non primò per ſe, ſed per ſpeciem, non propriam, ſed deſumptam ab ente reali: hoc ita probo, & explico. Volo v. g. concipere Chymeras concipio naturam humanam, & leoninam, & ambarum prædicata eſſentialia confundo, & ecce ens rationis, intellectum, & formatum per ſpecies entium realium; vndè vltrà colligitur ens rationis fieri per conceptum reflexum, ſeù comparatiuum; niſi enim comparauero vnam naturam ad alteram, & ſuper vtramque reflexero non potero prædicata vnire.

Dices. Nulla potentia poteſt formare ſuũ obiectum, ens rationis eſt obiectum, intellectus, ergo non poteſt ab illo formari: maior patet, nàm omnis potentia ſupponit ſuum obiectum. ℞. Obiectum duplex eſt, aliud motiuum, id eſt, quod mouet potentiam ad actum, & hoc eſt prius: & ſupponitur à potentia, aliud eſt purè terminatiuum, & dicitur illud, quod non habet mouere potentiam, ſed purè terminare eius actum, nec tale à potentiâ ſupponitur: huiuſmodi eſt ens rationis, vti & ſpecies expreſſæ, & omnes actus intellectus.

Quæ-

Quæres 3. An voluntas poſſit formare ens rationis. ℞. Negatiuè, quia quidquid voluntas vult, ſupponit formatum ab intellectu; vnde ipſa quidem poteſt ipſum appetere, ſed non formare.

Dices. Pariter diſcurrendo de intellectu, quia ipſe non format entia, niſi, quæ priùs fuerunt in phantaſmate, ergo non ipſe, ſed phantaſia format ens rationis. ℞. Rationem diſparem eſſe, nam licèt nihil ſit in intellectu, quod priùs, vel mediatè, vel immediatè non fuerit in phantaſmate, tamen intelligit aliquid, quòd præcisè non fuit immediatè, vt ens rationis, quod fuit deſumptum à ſpecie reali, & ideò mediante illâ dicitur fuiſſe in phantaſmate, non ſecundùm ſe. Non ſic fit in voluntate, quę, cùm ſit potentia cæca, ſupponit omnia ab intellectu immediatè formata.

Quæres 4. An ſaltem dandum ſit ens appetitus reſpectu voluntatis, vt datur ens rationis reſpectu intellectus. ℞. Aliqui ſimpliciter affirmant, ſed oportet diſtinguere; ſi enim intelligatur per ens appetitus aliquod tertium, quod, nec ſit reale, nec rationis, abſolutè negandum eſt, quia valet hoc dilemma in puncto contradictionis: omne ens, vel habet eſſe tantùm obiectiuè in intellectu, & eſt rationis, vel non habet eſſe tantùm obiectiuè in intellectu; & eſt reale, nec datur medium in contradictorijs; ſi verò per ens appetitus intelligatur ens, in quod fertur voluntas, puta obiectum appetibile, & ſic luce clarius eſt, quòd datur.

Quæres 5. An Phantaſia poſſit formare

ens

ens rationis. R. Quid ſit phantaſia vidimus in libris de Animâ. Ad propoſitum dico ſimpliciter negatiuè patet ex definitione datâ, quia ens rationis tantùm habet eſſe obiectiuè in intellectu, & ratio eſt, quia ens rationis conſiſtit in vnione incompoſſibilium prædicatorum, vti Hirci, & Cerui, quò non attingit phantaſia.

Dices. De nocte in ſomno ſopito intellectu phantaſia multas concipit Chymæras, vti montem ſine valle, Hirco-Ceruum, & ſimilia, ergo &c. R. Phantaſiam in tali caſu non vnire eſſentialia prædicata, ſed tantùm fingit vnionem accidentalem, puta integralem, & huiuſmodi, quòd non eſt ens rationis, cum à parte rei dentur, vt patet in monſtris.

Quæres 6. An intellectus formando ens rationis decipiatur. R. Tunc dicitur intellectus decipi, quando eius actus non eſt conformis rei intellectæ, vndè patet ad quæſitum dicendum eſſe affirmatiuè, nam intellectus formando ens rationis concipit non ens per modum entis, ergo non concipit, vt in ſe eſt, ergo decipitur.

Dices. Intellectus formando ens rationis, non concipit non ens per modum entis, ſed per modum non entis, ergo nulla ratio: antec. probatur, nam, ſi quis peteret à formante ens rationis, an hoc putet ens reale, diceret negatiuè; ergo non concipit id per modum entis. R. Negando antecedens, ad cuius probationem dico aliud eſſe loqui de intellectu in ipsâ formatione actus, aliud in vitali experientia actus; in ipsâ enim formatione

tione

tione errat, at in vitali experientiâ ſui actus ſe corrigit, & cognoſcit ſe erraſſe: atque inde fit, quòd, ſi quis eum interrogaret, an id, quod concipit ſit verum ens, diceret negatiuè.

Quæres 7. An Deus poſſit formare ens rationis. R. Patet ex dictis, quòd non, nam intellectus formando ens rationis decipitur, Diuinus autem intellectus non poteſt decipi, ergo nec formare ens rationis.

Dices. Deus poteſt formare ſyllogiſmum, qui eſt ens rationis, ergo &c. probo antecedens, Deus enim, cognito antecedenti, neceſſariò aſſentitur conſequentiæ. R. Negando antec. ad probationem dico Deum aſſentitur concluſioni, non diſcurrendo, & in vi antecedentis poſiti, ſed per ſimplicem actũ ob rei veritatem in ſe, & antecedens, & conſequens totum ſimul cognoſcit.

Quæres 8. An Angelus poſſit formare ens rationis. R. Hoc poteſt intelligi, vel circa naturale obiectum, vel ſupernaturale: circa prius nequit, benè circa poſterius: prima pars patet, quia ex dictis intellectus formando ens rationis decipitur, Angelus autem circa obiectum naturale decipi non poteſt, vt dixi ſuprà tract. 7. cap. 3. quæſt. 2. poſterior etiam, quia nihil in contrarium obſtat.

Quæres 9. An intellectus in primâ operatione poſſit formare ens rationis. R. Quid, & quotuplex ſit mentis operatio ſuppono ex dictis in prooemialibus Logicæ, & dico affirmatiuè; poteſt enim intellectus vnum appræhendere per modum alterius. Exemplum ſit, definitio (vt ſuppono) ſpectat ad primam men-

mentis operationem, vt definendo Animal *viuens ſenſitiuum*, tunc ſic arguo. Intellectus poteſt facere hanc propoſitionem *inanimatum aliquod eſt ſenſitiuum*, & tunc eſt ſecunda mentis operatio; cur ergo nequeat omiſſo ly *eſt* appræhendere ſimpliciter inanimatum ſenſitiuum?

Dices. Prima mentis operatio non decipitur, quia in eà non datur falſitas iuxta cõmune axioma, ergo &c. R. in eâ non dari falſitatem complexam, iuxta quam definitur propoſitio *oratio verum, vel falſum ſignificãs*, benè autem ſimplicem, quòd ſufficit.

Quæres 10. Quæ ſit prima, & ſecunda intentio. R. Prima intentio eſt, quæ conuenit enti reali, quatenùs tale: ſecunda intentio, quæ ipſi conuenit per aliquam fictionem intellectus: prioris exemplum ſit reſpectù hominis eſſe rationalem; poſterioris eſſe ſpeciem,

Caput 2. De Diſtinctione entis rationis.

QVæres 1. Quomodo diuidatur ens rationis. R. Omiſſis varijs altis diuiſionibus in præſenti diuidi in ens rationis ratiocinantis, & ens rationis ratiocinatæ.

Quæres 2. Quid ſit ens rationis ratiocinatæ. R. Eſt ens rationis cum fundamento in re, ſic vniuerſale eſt ens rationis ratiocinatæ, quia intellectùs format vnum conceptum communem omnibus inferioribus, quia à parte rei datur conceptus obiectiuus prędicatorum eſſentialium communis multis inferioribus.

Quæ-

Quæres 3. Quid ſit ens rationis ratiocinantis. R. Eſt figmentum purum intellectus ſine fundamento in re, vti mons ſine valle; homo ſine Animâ.

Tractatus Vndecimus.

De Vniuerſali,

Caput 1. De Vniuerſali in genere.

QVæres 1. Quid ſit vniuerſale. R. Ex dictis in Logicâ eſt *vnum multiplex*, ſeù *vnum aptum in multis*, *vel de multis*; vndè patet vniuerſale conſtitui per vnitatem, & aptitudinem ad multa: pro quo.

Quæres 2. Quæ ſit vnitas requiſita ad conſtitutionem vniuerſalis. R. Quid ſit vnitas ſuprà viſum eſt: pro præſenti quæſito notandum eſt, triplicem eſſe vnitatem, ſcil. formalem; id eſt ſecundùm prædicata eſſentialia eadem, numericam; id eſt ſecundùm prædicata indiuidualia, & præciſionis, quæ conſiſtit in merá præciſione à pluribus, quomodocúque, vt, cùm intellectus abſtrahit ab omni indiuiduo in humanitate: Notandum ſecundò aliud eſſe loqui de vnitate formaliter requiſitâ ad vniuerſale, & aliud de vnitate fundamentali: modò in præſenti de numericâ vnitate nulla eſt controuerſia. Dubitant Auctores, an formalis vnitas, an præciſionis requiratur. Communior eſt requiri vnitatem præciſionis contra Scotiſtas, cui

cui aſſentior,nã vnitas formalis datur à parte rei,at à parte rei nullum datur vniuerſale, vt infra quæſt. 4. contra eoſdem probabo, ergo vnitas ad vniuerſale requiſita non eſt formalis, ſed præciſionis, fundamentaliter tamen requiritur vnita, formalis, quia vniuerſale eſt ens rationis ratiocinatæ, & conſequenter habet fundamentum in re.

Dices. Ariſt. 5. Metaph. diuidit formalem vnitatem in genericam, & ſpecificam, ſed generica vnitas, & ſpecifica eſt vniuerſalis, ergo formalis vnitas eſt conſtitutiua vniuerſalis. ℞. Vt dixi, quòd vnitas formalis requiritur fundamentaliter, & ratione huius fundamenti procedit præſens diuiſio Ariſtotelica.

Quæres 8. Quæ ſit aptitudo requiſita ad vniuerſale. ℞. Senſus quæſiti eſt, an requiratur phyſica, realis, ſeù independens ab intellectu, an Logica, ſeù rationis, quod iterùm poteſt intelligi de aptitudine fundamentaliter, vel formaliter requiſitâ ad vniuerſale; modò dico, quod aptitudo formaliter requiſita eſt rationis, fundata tamen in aptitudine reali, quòd iterùm probo, vt ſuperius, quia vniuerſale formaliter eſt quid rationis, vt ſequenti queſito oſtendam, ergo & illius cõſtitutiua aptitudo: quòd autem fundanda ſit in aptitudine reali patet, quia vniuerſale, non eſt merum ens rationis ratiocinantis.

Dices. Ex dictis ſequitur vniuerſale conſtitui, formaliter adæquate per aliquid negatiuum, quod videtur inconueniens: ſequela probatur, nàm vnitas præciſionis eſt ſola negatio multiplicationis, aptitudo eſt negatio

repu-

repugnantiæ, ergo ſi per hæc fiat vniuerſale, conſtituitur adæquatè per aliquid negatiuũ. ℞. Negando ſequelam ad probationem dico aptitudinem materialiter quidem nihil aliud eſſe, quàm non-repugnantiam, ſed formaliter ſuperaddit poſitiuam habitudinem, quod ſufficit.

Quæres 4. An detur vniuerſale formale à parte rei. ℞. Affirmant communiter Scotiſtæ,& Plato,& alij,ſed diuerſá ratione, nam Plato finxit idæas à parte rei extra ſuppoſita, quæ,dum quæuis res extra ſuas cauſas prodibat realiter ſe ſingulis communicabat, & in illis realiter multiplicabatur:quamuis S.Auguſtinus conetur eum excuſare, & de idæis in mente Diuinâ interpretari; quidquid id ſit, parùm refert: tenet eam lib.9. de ideis, Scotiſtæ nituntur alio fundamemto, quod infrà in obiectione ſoluam. Comunior, & verior opinio eſt non dari, niſi in intellectu; & ratio eſt, quia omnia à parte rei ſunt producta per actionem ſingularem, ergo ſunt ſingularia,& non vniuerſalia,nàm ſingularis actionis terminus debet eſſe ſingularis. 2° Omne, quod datur à parte rei exiſtit, quod exiſtit eſt ſingulare; ergo &c. maior ſupponitur; min. probatur ex definitione exiſtentiæ, quæ eſt *vltimum complementum termini ſingularis*, ergo &c. De ſententia Platonis nulla eſt difficultas,qui dum ſuas ideas reales ponit, non vidit ſe maximum ens Chimæricum, & rationis ſtatuere, quia idem, ſecundùm idem cogitur admittere ſingulare, & vniuerſale. Pro Scoto.

Dices. A parte rei eſt vna natura apta eſſe

in

in multis; puta humanitas, ergo à parte rei eſt vniuerſale: antec. patet, nam humana natura verè eſt vna, verè eſt in multis, ergo &c. ℞. A parte rei naturam eſſe vnam formaliter, ſed cùm illa formalis vnitas à parte rei ſingularizetur in ſingulis indiuiduis, ideò illa eadem non eſt ſufficiens ad conſtituendam naturam vniuerſalem formaliter.

Quæres 5. An vniuerſale tantùm conſiſtat in vocibus. ℞ Hæc fuit opinio Ocham, Petri Bruxellenſis, Buridani, & Aliorum Nominalium, qui dicebant vniuerſale in eo conſiſtere, quòd vna, & eadem vox de multis prædicetur. Sed facilè reijcitur, quia hinc ſequitur omnes ſcientias, tãtùm eſſe Grammaticales, quippe quæ vim vocum, & vocabulorũ indagent, quia cum omnis ſcientia ſit de vniuerſalibus; omne autèm vniuerſale ſit vox, omnes ſcientiæ conſequenter erunt de vocibus, ſic Philoſophus de nomine debebit diſceptare, reſoluendo, non ſyllogiſmum in ſua formalia principia, ſed in ſyllabas, & ſyllabas in litteras, quod eſt ridiculum Accedit auctoritas Ariſtotelis, qui lib 1. Periherm. diuidit res in ſingulares, & vniuerſales.

Dices. Ergo hinc datur vniuerſalis res, ſeù vniuerſale à parte rei. ℞. Negando ſequelam, nàm res vniuerſalis ibi ſumitur pro vniuerſali in eſſendo, quod nihil eſt aliud, quàm, cùm intellectus concipit vniuerſale, vt extrà ſe, licèt tamen verè ſit in intellectu, ſic Natura humana dicitur vniuerſale in eſſendo, ſeù res vniuerſalis, non quatenùs eſt à parte rei, ſed quatenùs concipitur ab intelle-

telle-

tellectu,quaſi extra ſe vna,& multiplicabilis in multis.

Quæres 6. An vniuerſale ſit quid abſolutũ,vel relatiuum. ℞. Eſſe aliquid relatiuum, quia conſtituitur per reſpectum ad ſua inferiora.

Quæres 7. An vniuerſale ſit ipſe conceptus intellectus. ℞. Negatiue, nam conceptus intellectus eſt aliquid reale, at vniuerſale eſt ens rationis, vt probaui.

Dices. In intellectu nihil datur,niſi cognitio, & actus eius, ergo,ſi vniuerſale ſit in intellectu nihil poteſt eſſe aliud quam eius actus. ℞. Diſtinguendo nihil datur reale in intellectu præter eius actum, & conceditur, nihil datur fictè,& obiectiuè : negatur,& tale eſt vniuerſale.

Caput 2. De Speciebus vniuerſalis in Particulari.

QVæres 1. An genus in vnicâ ſpecie, vel ſpecies in vnico indiuiduo poſſit conſeruari,cæteris repugnantibus. ℞ Certum eſt, totum eſſe phyſicum generis in vnicâ ſpecie, vel ſpeciei in vnico indiuiduo à parte rei reperiri. Quæritur igitur, an formale eſſe, ſecundò-intentionale poſſit ſaluari. Communior de genere negat, & de ſpecie affirmat, eò quia ſpecies habet totam perfectionem ſuam in vno indiuiduo, ſed non genus in vnâ ſpecie, quod ſic oſtendo, genus puta *animal* non habet totam ſuam perfectionem ſubſtantialem in ſolo eſſe *leonis*,cùm alias acquirat perfectiones ſubſtantiales in

bove, & *homine*, at ſpecies puta *homo* non ha-
bet diuerſas ſubſtantiales perfectiones in Pe-
tro, & Paulo: Verùm hæc ratio non placet,
nam ſi per ſubſtãtiales perfectiones intelligãt
illas, quę ſunt formales differentiæ, verum eſt
ſed nihil vrget, at ſi intelligãt, quomodocũq;
ſiue pro differentijs formalibus ſpeciei, ſiue
pro materialibus indiuidui nulla eſt differẽ-
tia, nàm vtraque perfectio eſt ſubſtantialis,
vndè dico, nec genus in vnicâ ſpecie, nec
ſpeciem in vno indiuiduo, cęteris repugnan-
tibus, ſecundò-intentionaliter poſſe conſer-
uari, quod ſic probò de ſingulis ſpeciatim, ſi
genus ſeruaretur in vna ſpecie idem eſſet ſpe
cies ſpecialiſſima, quia illi repugnaret in a-
lias ſpecies diuidi, & genus vt ſuppono, quòd
manifeſtam inuoluit contradictionem: cur-
rit par ratio de ſpecie, nam hæc eſſentialiter
eſſet indiuidua, & conſequenter non poſſet
dicere reſpectum ad inferiora, & conſequẽ-
ter non eſſet vniuerſale, quomodò ergo ſpe-
cies?

Dices. Omne inferius importat ſuum ſu-
perius, ſic indiuiduum importat ſpeciem, &
ſpecies genus, ergo ſufficienter ſaluatur ge-
nus in vnâ ſpecie, & ſpecies in vno indiui-
duo. ℞. Hoc argumentum nihil concludere,
nam in caſu ſubſtrato, nec illud indiuiduum
eſſet inferius ad ſpeciem, nec ſpecies ad ge-
nus. Deinde dato quòd eſſet inferius impor-
taret quidem ſuperius, quoad prędicata rea-
lia, & primò-intentionaliter, non ſecundò-
intentionaliter, ſic indiuiduum Angelicum
(ſuppoſitâ ſententiâ Thomiſtarum) impor-
taret quidem omnia prædicata eſſentialia

ſuæ ſpeciei, ſed non fundaret ſufficienter ſecundam intentionem illius.

Quæres 2. Quomodo gradus Metaphyſici diſtinguantur. ℞. Gradus Metaphyſici dicuntur omnia genera, & differentiæ à ſupremo genere vſquè ad ſpeciem ſpecialiſſimam, vt in homine ſubſtantia, corpus, viuens ſenſitiuum, rationale, &c. Dico itaque diſtingui formaliter, nō realiter; prima pars probatur nam alias homo formaliter eſt Aſinus, quod eſt abſurdum: probo ſequelam ex hoc axiomate. Quæcūque ſunt, eadem formaliter vni tertio, ſunt eadem formaliter inter ſe, modò ſic ſubſumo, omnis Leo, & omnis Aſinus ſunt idem formaliter vni tertio; ergo ſunt idem formaliter inter ſe, mai. eſt maxima fundans tertiam figuram in formâ ſyllogiſticâ min. itaque neganda eſt, ſed non poſſet negari niſi differret à ſuſima hominis formaliter diſtingueretur ab eſſe animalis, ergo &c. quòd autem non diſtinguantur realiter facile patet, quia nulla eſt neceſſitas ſic diſtinguendi.

Dices Ex eo, quòd gradus metaphyſici ſint ijdem realiter in homine, & pariter in aſino ſint realiter ijdem non ſequitur hominem, & aſinū eſſe eoſdem realiter inter ſe, ergo ex eo, quòd gradùs metaphyſici ſint ijdem formaliter non ſequeretùr hominem, & aſinum eſſe eoſdem formaliter inter ſe. ℞. Ratio eſt diſpar, quia nullùm eſt tertium in quo homo, & aſinus ſint idem realiter, ſicuti eſt, in quo ſunt idem formaliter, ſcil. Animal, cuius ratio formalis vniuocè in homine & aſino reperitur.

Quæres 3. An ſpecies ſubijcibilis ſit vni-

uerſale. ℞. Quæ ſit ſpecies ſubijcibilis, patet ex dictis in Logicâ, & ad propoſitum dico negatiuè; & ratio eſt, quia vniuerſale dicitur per ordinem ad ſuum inferius, at ſpecies ſubijcibilis dicitur per ordinem ad genus ſuperius.

Quæres 4. An differentia inferior in ſuo formali conceptu includat ſuperiorem. ℞. Senſus quæſiti eſt, an v.g. rationale in homine formaliter includat eſſe ſenſitiui, & huiuſmodi: pro quo nota differentiam dupliciter conſiderari, vno modo in genere entis, & ſic negari non poteſt, quin rationale de intrinſeco ſuo conceptu includat eſſe ſenſitiuum: altero modo, vt differentia præciſe eſt, quatenus diuidit genus ſuperius, & conſtituit ſpeciem inferiorem, & ſic procedit quæſitum, ad quod dico negatiuè, quod ſic probo, & explico: rationale in homine procul dubio eſſentialiter includit eſſe ſenſitiuum, ſed non quà tale habet diuidere, & contrahere animal ad eſſe hominis, ſed preciſè, quà ſenſitiuo ſuperaddit eſſe rationale.

Dices. Proprium eſt ſolius differentiæ ſupremæ nullam ſuperiorem includere, ergo reliquæ includunt ſuperiores, nàm hæc eſt ratio diſtinctiua differētiæ ſupremæ ab alijs. ℞. Differentiæ ſupremæ proprium eſſe, nec formaliter, nec entitatiuè includere ſuperiorem, at differentiæ aliæ, licèt non includans formaliter, includunt tamen entitatiuè, vt in corpore explicui, & hæc eſt ratio diſtinctiua.

Quæres 5. An differentiæ contractiuæ eiuſdem generis opponantur contrariè. ℞.
Sen-

Senſus eſt v.g. an *rationale*,& irrationale ſibi inuicem contrarientur ; ratio dubitandi eſt, quia iſtæ differentiæ ſunt ſubſtantiæ;ſubſtantiæ autem nihil eſt contrarium , iuxta Ariſt. cap. de ſubſtantia: & deindè idem Ariſt. lib. 10. metaph. t. 24. ait differentias ſpecificas eſſe contrarias. Conantur plurimi dubio ſatisfacere dicendo , vnum locum Ariſtotelis intelligi de contrarietate ſtrictè ſumptâ, & aliũ de contrarietate latè ſumptâ,ſed hæc ratio non ſufficit,explicent enim quæ,ſit hæc contrarietas ſtrictè ſumpta : placet ergo ratio aliorũ,quam affert Sueſſanus 10.metaph. diſp.6.in text. cit. Ariſt.contrarietatem conſiderari dupliciter, phyſicè,vt dicit ordinem ad ſubiectum ex quo contraria ſe expellunt, & ſic ſubſtantiæ nihil eſt contrarium ; quia, cùm in ſubiecto non ſit,non poteſt ex ſubiecto expellere: alio modo ſpectatur metaphyſicè, ideſt abſtrahendo à ſubiecto,& materiâ, & ſic poſſunt differentiæ ſubſtantiales inuicem contrariari , quia ſic ceſſat ratio in contrarium allegata.

Quæres 6. An differẽtia,& propriũ ſit vniuerſale per ordinem ad ſpeciem, vel ad indiuidua ſpeciei . ℞. Eſſe per ordinem ad indiuidua, non ad ſpeciem,quia vniuerſale conſtituitur per ordinem ad inferiora,ſola autem indiuidua ſunt inferiora differentiæ, & proprij, non ſpecies, quæ eſt conuertibilis eorum.

Dices hinc ſequitur proprium,& differentiam non eſſe vniuerſale , niſi mediante ſpecie. ℞.Cõcedendo ſequelam,nec eſt abſurda.

Quæres vltimò . An proprium per Deum

à natura ſit ſeparabile. ℞. Dubium non eſt, quin poſſit, quoad actum ſecundum, nam ſic etiam differentia eſſentialiter conſtitutiua aufertur, vti patet in homine demente, ſed quæritur de actu primo, & ſenſus eſt v. g an à Natura humana auferri poſſit exigentia riſibilitatis, & dico negatiue: eſt enim idem radicaliter cum eſſentia: quia ſi eſſet ſeparabilis riſibilitas ab homine poſſet per Deū poni in alio ſubiecto, quàm homine, & ſic non eſſet proprium ſolius hominis: probo ſequelam, in qua eſt totus cardo difficultatis, nàm, ſi poſſet ſeparari à naturâ, & non poſſet poni in alio ſubiecto, tunc eſſet modus naturæ, quòd nemo ſanæ mentis concedet: probo ſequelam; nàm modus eſt, qui ſic alligatur proprio ſubiecto, vt ne per Deum quidem, dum ſubiectum proprium illo priuatur, poſſit poni in alio ſubiecto. V. dicta tr. 9. quæſito. 4.

Hæc ſunt, quæ de Ente metaphyſico, & totâ philoſophiâ pro inſtituti affectatâ breuitate dicenda occurrerunt, quæ omnia cedant ad maiorem ineffabilis illius Entis Dei Opt. Max. eiuſq; Virginis Matris Gloriam.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ hoc Opere continentur.

Prior numerus paginam indicat, poſterior Quæſtionem.

ACCIDENS *prædicabile quid, & quotuplex* 35. 7. *prædicamentale* 331. 1. *an ſit productiuum ſubſtantiæ* 143. 13. *an poſsit aſſumi à ſubſiſtentia* 319. 8. *an omne Accidens ſit ſeparabile à ſubiecto* 333. 2. *vnde ſingularizetur. ibid.* 3.

ACTIO & *agere* 48. 1. 204. 1. *eius proprietates* 48. 2. *quotuplex ſit* 140. 3. *Actio, & Paſſio quomodò diſtinguantur* 205. 3. *Actio per antiperiſtaſim* 208. 10. *quę huius cauſa ibid.* 11. *an ſit reflexiua* 209. 12. *Actio reflexiua* 206. 6. *an fiat in habentibus contrarium* 207. 7. *an fiat eiuſdem in ſeipſum ibid.* 8. *à quo producatur ibid.* 9. *Agere per contactum quid* 204. 2. *an ſimile agat in ſimile* 206. 4. *an idem in ſeipſum. ibid.* 5.

ACTVS & *potentia quomodò diſtinguuntur.* 350. 8.

A E R *innatus* 262. 4. *Aeris regiones tres.* 223. 4.

ÆQVALITAS *quotuplex.* 219. 8.

ÆQVINOCTIALIS *linea.* 179. 6.

ÆQVINOCTIVM. 183. 14.

ÆQVIPOLLENTIA. 65. 1.

ÆQVIVOCA. 38. 2. *æquiuocantia, & æquiuocata. ibid.*

ÆTERNITAS. 171. 4.
ÆVVM. *ibid.*
ALTERATIO *quid* 200. 1. *quotuplex. ibid.* 2. *an fiat continuè* 201. 3. *V. Intenſio.*
ANIMA *quid* 229. 1. *quotuplex eius gradus. ibid.* 2. *in qua parte corporis reſideat* 230. 4. *an iuxta gradus vitæ multiplicentur animæ. ibid.* 5. *An habeat formas ſubſtantiales ſubordinatas* 231. 6. *quomodo vna contineat plures gradus vitæ* 232. 8. *quot eius potentiæ vniuerſim* 233. 9. *quomodò diſtinguantur ab anima, ibid.* 10. *Anima accidentalis an poſsibilis* 285. 13. *Anima vegetatiua* 236. 1. *quot eius potentiæ, ibid.* 2. *Anima ſenſitiua. V. Senſitiua. Anima rationalis. V. Intellectiua.*
ANGELVS *quid, & an ſit compoſitus* 320. 1. *An ſit, & quæ eius duratio* 321. 2. *an ſint plures in vna ſpecie, ibid.* 3. *quas habeat potentias* 323. 4. *an tranſeat de loco ad locum ſine medio, ibid.* 1. *quomodo ſit in loco* 324. 2. *quomodo moueat corpora* 325. 3. *an poſsit alium loco mouere* 326. 4. *an intelligat per ſpecies, ibid.* 1. *an intelligat immediatè quidditates rerum.* 328. 2. *an intelligat ſecreta cordis, ibid.* 3. *an certò ſciat futura cõtingentia, vel abſentia* 329. 4. *quomodò loquantur Angeli, ibid.* 5. *voluntas Angeli an ſit flexibilis* 330. 1. *quæ peccata poſſit facere* 331. 2. *quod fuerit primum Angeli peccatum, ibid.* 3. *An primo inſtanti potuerit peccare* 332. 4. *Angelus an poſsit informare materiam.* 138. 5.
ANNVS *magnus, & ſolaris.* 170. 3.
ANTECEDENS *argumenti pars* 70. 2.
APPETITVS *quid, & quotuplex* 273. 1. 2. *quod ſit eius organum.* *ibid.* 3.
APTITVDO *requiſita ad vniuerſale* 358. 3.

AR-

ARGVMENTATIO *quid.* 69. 1. *quot eius partes* 70. 2. *quæ eius materia, ibid.* 3. *quæ eius ſpecies, ibid.* 4.

ARS *quid* 26. 2. *Artificiale an addat aliquid reale ſupra naturam* 131. 9.

ATTRIBVTA *Dei quæ* 298. 3. *an diſtinguuntur formaliter, ibid.* 4. *An virtualiter* 300. 5. *an detur ratio communis attributorum Dei* 301. 6.

AVDITVS *ſenſus* 261. 1. *eius organum* 262. 4.

AVGMENTATIO, *& augmentatiua* 241. 1. *an formaliter conſiſtat in mole, ibid.* 2. *an in extenſione* 242. 3. *in quo conſiſtat, ibid.* 4. *Augmentatio viuentium, & non viuentium, ibid.* 5. *quomodo fiat, ibid.* 6. *cur viuentia non ſemper augmententur* 243. 7.

AVRIS *conſtructio* 262. 4.

AXIS *Mundi* 178. 2.

BONITAS *tranſcendens* 294. 1. *an omne ens ſit bonum* 295. 2. *entia mathematica quomodo dicantur non bona* 296. 3. *Bonum conſtat ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu* 59. 6.

CALOR *quid* 213. 4.

CAPRÆ *ſaltantes* 223. 3.

CASVS *quid* 152. 2.

CAVSA *quid* 131. 1. *quot eius genera* 132. 2. *quomodo ſit nobilior effectu* 145. 13. *duæ cauſæ totales nequeunt producere eumdem effectum, ibid.* 14. *cauſa prima, & ſecunda quomodo cogunt* 148. 17. *cauſa materialis V. materialis cauſa formalis. V. formalis. Cauſa efficiens. V. efficiens. Cauſa finalis. V. finalis.*

CIRCVLVS *in Argumento* 93. 2. *circuli Sphæræ cæleſtis* 179. 5. *circuli Polares* 182. 12. *circuli Paralleli* 182. 13.

COELVM *an ſit corpus ſimplex* 188. 1. *mate-ria illius an differat à ſublunari* 189. 2. *cæli ſunt ſolidi* 190. 3. *ſunt tantùm tres, ibid.* 4. *an moueantur cum ſtellis* 192. 5.
COGNITVM *primò quid* 281. 8.
COLOR 257. 3.
COLVMNA *Meteorologica* 223. 3.
COLVRI 181. 10.
COMETA 222. 2.
COMPOSITVM *phyſicum* 124. 1. *eius quid-ditas* 125. 3. *quomodo diſtinguatur à partibus, ibid.* 5. *&* 127. 5.
CONDENSATIO *quid* 210. 14. *an in illa mutetur quantitas, ibid.* 15. *quomodo fiat ſine partium penetratione* 211. 16.
CONSEQVENS *argumenti pars* 70. 2.
CONTACTVS *virtualis, & ſuppoſitalis.* 204. 2.
CONTINVVM *quid* 159. 1. *an componatur ex Athomis, ibid.* 2.
CONTRADICTORIA 50. 3.
CONTRADICTORIÆ, *& harum regulæ* 59. 4. *quomodò ſeruentur in futuris contingen-tibus* 61. 1.
CONTRARIA 50. 3.
CONTRARIÆ, *& harum regulæ* 57. 3.
CONVERSIO *propoſitionum* 68. 2. *quotu-plex, ibid.* 3.
CORPVS *quantitatiuum* 43. 2.
CORRVPTIO *quid* 196. 4. *an fiat per ve-ram actionem* 197. 5. *an habeat veras cauſas, ibid.* 6. *an ſit naturalis, ibid.* 7. *an ſemper co-mitetur generationem* 198. 10. *radix eius an ſit materia* 199. 11.
CREARE *quis poſſit* 175. 2.
CREATIO *quid ibid.* 2. *an ipſa ſit creatura* 167.

167. 4. quomodo differat à generatione, & tranſubſtantiatione 196. 3.

CREATVRÆ relatio ad Deum realis non mutua 306. 1. quomodò dependeat à Deo, ibid. 2.

DEMONSTRATIO propter quid 86. 4. & 92. §. ex. Demonſtratio quia 92. 1.

DENOMINATIO extrinſeca, & intrinſeca, & Denominatiua 83. 3.

DEVS quid 297. 1. an ſit 298. 2. quomodo ſit Vnus 301. 1. quomodo ſimplex, 302. 2. Perfectus, ibid. 3. Infinitus, ibid. 4. Immenſus 303. 5. Omnipotens 304. 6. Immutabilis, ibid. 7. Aeternus, 305. 8. Omniſcius, ibid. 9. Deus an poſſit eſſe cauſa formalis, vel materialis 138. 5. an concurrat immediatè ad omnem effectum 146. 15. quomodò 148. 17.

DIALECTICA 25. 1.

DIES naturalis, & artificialis 170. 3.

DIFFERENTIA quid, & quotuplex 34. 5. inferior an formaliter includat ſuperiorem 364. 4. Differentiæ contractiuæ eiuſdem generis an contrariæ, ibid. 5.

DILEMMA 71. 9.

DISCVRSVS quibus conſtet 25.

DISPARATA 50. 2.

DISSIMILITVDO non eſt relatio 340. 3.

DISTINCTIO quid 347. 1. realis quotuplex 348. 2. realis vt res à re, ibid. 3. vt res à modo, ſeu modalis, ibid. 4. formalis 349. 5. formalis ex natura rei, reiicienda, ib. 6. virtualis 350. 7.

ECHO 263. 6.

ECLYPSIS Solis, & Lunæ 183. 15. Eclypſis Solis ſemper fit in nouilunio, Lunæ in plenilunio 184. 2. Eclypſis in morte Chriſti, ibid. 4. cur non ſingulis menſibus fiat, ibid. 5.

EDVCTIO formæ 105. 4. quam prioritatem

materiæ requirat, ibid. 5. *an idem ſit formæ vnio, & eductio* 116. 16. *V. Forma.*
EFFICIENS *cauſa* 140. 1. *quæ eius cauſalitas, ibid.* 2. *multiplex illius diuiſio, ibid.* 4. *& ſeq.*
ELEMENTVM 211. 1. *quot ſint elemẽta* 212. 2. *quomodo inuicem tranſmutentur* 214. 9. *an grauitent, & leuitent in proprio loco, ibid.* 10. *ſymbola, & diſſymbola* 215. 11. *eorum tabula* 216. *an maneant formaliter in mixto* 217. 5.
ENS *latiſſimè ſumptum* 287. 1. *an dicat conceptum vnum præciſum* 288. 2. *an iſte conceptus ſit vniuocus, ibid.* 3. *an contractum dicat conceptum vniuocum.* 289. 4. *an habeat veras differentias, ibid. quomodo contrahatur* 250. 5. *Ens rationis* 351. 1. *quomodò fiat, ibid.* 2. *an habeat veras cauſas* 28. 6. *an fiat à voluntate* 353. 3. *an à phantaſia, ibid.* 5. *an Deus id poſſit formare* 355. 7. *an Angelus, ibid.* 8. *an intellectus in prima operatione, ibid.* 9. *an intellectus formando ens rationis decipiatur* 354. 6. *Ens rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ* 356. 2. *&c. Ens reale quid* 291. 1. *&* 40. 2. *an habeat veras proprietates, ibid.* 2. *quæ ſint eius attributa, ibid.* 3. *Ens completum quid* 40. 2.
ENTIMEMA 71. 8.
ENVNTIATIO, *& multiplex eius diuiſio* 53. 1. *&c. quid ad veritatem Enuntiationis requiratur* 54. 2. *&c. quidditas illius, ibid.* 6. *quantitas, ibid.* 7. *qualitas, ibid.* 8. *Enuntiatio infinita* 62. 1. *Enuntiatio modalis. V. Modalis.*
EXEMPLAR *ad quod genus cauſæ reducatur* 151. 12.
EXEMPLVM 70. 7.
EXHALATIO 221. 4.
EXISTENTIA 311. 2. *quomodo diſtinguatur*

ab

ab eſſentia, ibid. 3.

FALLACIA in argumento eiuſque varij modi 36

FATVM 153. 5.

FAX meteorologica 223. 3.

FIGVRA, & forma 47. 2. figuræ ſyllogiſmorum quæ, & quot 73. 5. figura Galenica 77. 7.

FINALIS cauſa 148. quæ ſit eius cauſalitas 149. 2. quæ cum illa concurrant, ibid. 3. quæ ſit eius ratio obiectiua, ibid. 4. cognitio quomodò ſe habeat ad cauſam finalem 150. 5. quæ requiratur, ibid. 6. an Deus agat propter finem, ibid. 7. an homo, & Angelus 151. 8. an bruta, ibid. 9. an agentia naturalia, ibid. 10. quomodò finis cauſet, ibid. 11.

FLAMMA meteorologica 223. 3.

FLVMINA vndè oriantur 226. 9.

FONTES vndè oriantur, ibid.

FORMA quid 114. 1. eius variæ diuiſiones, ibid. 2. quomodo producantur 115. 4. an forma Cæli ſit educta ex materia 116. 7. an formæ elementorum 117. 8. an artificiales, ibid. 9. an ſupernaturales 118. 10. an violentæ, ibid. 11. quæ ſint eius proprietates 119. 12. eſt nobilior materia, ibid. 13. eſt ignobilior cõpoſito, ibid. 14. vna nequit ſimul actuare duas materias 120. 15. nec ſucceſſiuè, ibid. 16. excipitur anima rationalis, ibid. 17. quomodò ſit generationis principium 121. 18. an appetat materiam, ibid. 19.

FORMALIS cauſa quid 137. 1. quos habeat effectus, ibid. 2. quas conditiones requirat, ibid. 3. quam requirat indiſtantiam 138. 4. Deus, vel Angelus an poſsint eſſe cauſa formalis, ibid. 5. forma ſublunaris an poſsit actuare materiam cæleſtem 139. 6. forma Syllogiſmi in quo conſ-

ſtat 73. 4. forma corporeitatis an detur 232. 7.
FORTVNA 152. 1. quomodò differat à caſu 153 3. reſpectu quorum detur, ibid. 4.
FRIGVS quid 213. 5.
FVLGVR, & FVLMEN 223. 4.
FVNDAMENTA figurarum ſyllogiſticarum 79. 1. &c.

GALAXIA 228. 3.
GENERATIO ſubſtãtialis 195. 1. quis & quotuplex huius terminus, ibid. 2. quomodò differat à creatione, & tranſubſtantiatione 196. 3. Generatio vnius, an corruptio alterius 197. 8. an ſemper comitetur corruptionem 198. 9. Generatio viuentium, Generatiua potentia 243. 1. Generatiua in quo ſubiectetur 244. 3. Generatio ex putri 246. 1. quomodo fiat 247. 2. cur ex vno corpore putreſcente plura generentur 248. 3. an generata ex putri, & patre differunt ſpecie, ibid. 4. an detur alius modus generationis viuentium, ibid. 5.
GENVS quid 33. 1. generaliſſimum, & ſubalternum 34. 4. an ſaluetur formaliter in vna ſpecie 362. 1.
GLACIES 226. 7.
GRADVS metaphyſici quomodò differãt 363. 2. Gradus ſphæræ cæleſtis 179. 6.
GRANDO 225. 5.
GRAVIA vndè moueantur 171. 1.
GVSTVS ſenſus 265. 1. eius organum 266. 3. an attingat obiectum realiter, ibid. 4. an differat à tactu, ibid. 5.

HABITVS, & diſpoſitio 47. 2. eius ſubiectum 345. 2. quomodò acquiratur 346. 3. quomodò augeatur, ibid. 4. quomodò operetur 347. 5. Habitus ſpeciale prædicamentum eiuſque proprietates 49. 6.

HA-

HALO 228. 2.
HETEROGENEVM, & *homogeneum* 203. 7.
HORA 171. 3.
HORIZON 181. 9.
HVMIDITAS 213. 6.
HVMOR *criſtallinus* 260. 10.
HYPOSTASIS *V. Subſiſtentia.*
IDÆA *ad quod genus cauſæ reducatur* 151. 12.
IDENTITAS *quid* 347. 1.
IGNIS *fatuus* 223. 3. *Ignis inferni quomodo torqueat Dæmones* 313. 4.
ILLATIO *argumenti pars* 70. 2.
INDIVIDVATIO *quid* 313. 4. *quod eius principium, ibid.* 5.
INDIVIDVVM *variè accipitur* 36. 1. *an detur cõceptus cõmunis omnibus indiuiduis* 37. 2.
INDVCTIO 70. 6.
INFINITVM *quid* 162. 1. *quotuplex, ibid.* 2. *an dabile ſit actu, ibid.* 3. *an, ſi daretur, haberet principium* 163. 4.
INSTRVMENTA *logicalia* 26. 3.
INTELLECTIVA *anima* 274. 1. *an ſit ſpiritualis, ibid.* 2. *an tota in toto, & tota in qualibet parte, ibid.* 3.
INTELLECTVS *quid* 276. 1. *eius obiectum, ibid.* 2. *quomodò dependeat à ſenſu* 277. 3. *an ſit potentia organica, ibid.* 4. *an attingat obiectum per ſpeciem* 278. 5. *quomodo attingat ſingularia* 280. 7.
INTELLECTIO *in quo conſiſtat* 282. 10.
INTENSIO *qualitatis* 42. 3. *an fiat per deperditionem priorum graduum* 201. 4. *an per irradicationem in ſubiecto* 202. 8. *an per additionem nouæ qualitatis, ibid.* 6. *an per gradus homogeneos* 203. 7.
INTENTIO *prima, & ſecunda* 356 10.
IRA 273. 2.

IRIS 228. 1.
LAMPAS *meteorologica* 223. 3.
LEVIA *vndè moueantur* 171. 1.
LINEA *quid* 43. 2.
LOCVS *quid* 174. 1. *quotuplex* 175. 2. *an idem corpus poſsit eſſe in pluribus locis, ibid.* 5.
Locomotiua potentia 274. 4. *Locus ſophiſticus* 99. 1. *eius finis, & ſcopus, & diuiſionis, ibid.* 2.
Locus Topicus eiuſque diuiſiones 94. 1. &c.
LOGICA *eiuſq; diuiſiones* 25. 1. &c. *an ſit ars* 26. 4. *an ſpeculatiua* 27. 5. *an ſcientia, ibid.* 6. *eius obiectum* 29. 8. *an neceſſaria alijs ſcientijs* 28. 7.
LVMEN *quid* 256. 2. *quomodo concurrat ad viſionem* 257. 4. *in quo differat à luce* 258. 5. *an ſit corpus, ibid.* 6. *an forma ſubſtantialis, ibid.* 7. *an aliquid reale* 259. 8. *primarium, & ſecundarium, ibid.* 9.
MAIOR *propoſitio ſyllogiſmi* 72. 3. *Maius extremum, ibid.* 2.
MANDRAGORÆ *an necet ſuo frigore* 218. 7.
MANNA 226. 8.
MARIS *fluxus, & ſalſedo vndè, ibid.* 10.
MATERIA *prima* 106. 1. *cognoſcitur per formam, ibid. &* 112. 15. *an detur* 107. 2. *an ſit ſubſtantia, ibid.* 3. *an corpus, ibid.* 4. *an pura potentia, & quomodo* 108. 5. *an habeat propriam exiſtentiam* 109. 6. *an per Deum poſsit exiſtere ſine forma, ibid.* 7. *quid potentia ponat in ipſa* 110. 8. *an appetat formas, & quas, ibid.* 9. *an habeat coguam quantitatem* 111. 11. *an in omnibus ſit eadem ſpecie, ibid.* 12. *an eadem numero, ibid.* 13. *eius proprietates* 112. 14. *an ſit incorruptibilis, ibid.* 16. *quomodò ſit rerum ſubiectum* 113. 17. *quomodò optimè cognoſcatur, ibid.* 18. *an ſit radix corruptionis* 199. 11.

Ma-

MATERIALIS *cauſa* 133. 1. *quarum rerum ſit cauſa, ibid.* 2. *quomodò cauſet generationem ibid.* 3. *quomodò formam, & priuationem, ib.* 4. *quomodò animam rationalem, ibid.* 5. *quomodò compoſitum* 134. 6. *an cauſet immediatè per ſuam entitatem* 136. 8. *quomodo cauſet accidentia, ibid.* 9. *quas conditiones requirat* 137. 10.
MAXIMA *propoſitio* 95. 2.
MEDIVM *ſyllogiſmi* 72. 2.
MEL *roridum* 226. 8.
MEMORIA 283. 1.
MENSIS 170. 3.
MENTIS *operationes tres* 30. 8.
MERIDIANA *linea* 180. 8.
METAPHYSICA 285. 1. *an ſit Scientia, ib.* 2. *an ſapientia, ibid.* 3. *eius obiectum* 286. 4.
METEORVM 221. 1. *eius cauſa efficiens, ib.* 2. *materialis, ibid.* 3. *locus vbi generetur* 222. 5. *quotuplex ſit, ibid.* 6.
MINOR *propoſitio ſyllogiſmi* 72. 3. *Minus extremum, ibid.* 2.
MINERALIA 227. 3.
MIXTIO 216. 1. *quomodo differat à generatione Mixti, ibid.* 3. *an ad omnem Mixtionem concurrant quatuor elementa* 217. 4. *eius formalis terminus, ibid.* 6. *an Mixtum in primis qualitatibus excedens elementa ſit dabile* 218. 7. *an Mixtũ æquale* 219. 8. *Miſcibilia quæ* 216. 2.
MODALES *propoſitiones, Modus* 63. 1. *earum tabula* 64. *an ex parte materiæ ſint* 4. *Modi, ibid.* 2. *quomodò conuertantur Modales* 64. 4. *Modus ſyllogiſmi* 73. 6.
MONSTRVM 153. 6.
MOTOR *primus* 175. 1.
MOTVS *quid* 154. 1. *quot eius ſpecies, ibid.* 2. *an definitio Motus conueniat inſtantaneo, ib.* 3.

an

an conueniat vniuocè omni motui 155. 4. an dicat eſſentialiter ſucceſſionem, ibid. 5. vndè ſpecificetur 156. 6. vndè indiuiduetur 157. 7. vndè ſumatur eius contrarietas 158. 8. quomodò diſtinguatur à termino, ibid. 9. quomodò ab actione, & paſſione 159. 10. quomodò opponatur quieti 129. 3. Motus naturalis cur velociſſimus in fine 172. 2. violentus cur velociſſimus in medio 173. 4. Motus raptus, reÿcitur 192. 4.
MVNDVS 185. 1. eius diuiſio, ibid. 2. an poſſint eſſe plures ſpecie, ibid. 3. an numero ſolo 186. 4. an ſit creatus, ibid. 5. an potuerit eſſe ab æterno 187. 6.

NADIR quid 181. 8.
NASI conſtructio 260. 10.
NATVRA quid 128. 1. quomodò ſit cauſa motus, & quietis, ibid. 2. illius definitio quibus competat 129. 5. an ſit principium actiuum motus 130. 7. an formæ partiales ſint naturæ 131. 8. Natura pro Eſſentia 311. 1. Naturale quotupliciter dicatur 129. 4.
NEBVLA 225. 3.
NEGATIO negans, & infinitans 62. 1.
NERVI optici 260. 10.
NIX 225. 4.
NOBILITAS diſciplinæ vndè ſumenda 28. 6.
NOMEN 52. 1.
NOTIVS nobis, & naturâ 90. 3.
NOVILVNIVM 184. 2.
NVBES 225. 2.
NVMERVS eſt ens per ſe 335. 2. quomodò ſpecificetur 336. 3.
NVTRITIO quamodò fiat 237. 5. quando fiat 238. 6. quomodò continuet idem numero, an ratione formæ, ibid. 8. an ratione aliquarũ partium 239. 9. an per æquiualentiam, ibid. 10. an
dese-

defectu actionis totaliter deſtructiuæ 240. 11. *an ratione materiæ, & formæ, ibid.* 12. *Nutritiua potentia* 236. 3. *quæ huic ſubordinentur* 237. 4.

OBIECTVM *formale, & materiale, adæquatum inadæquatum* 30. 8. *adæquationis, & attributionis* 286. 4.

OCVLI *conſtructio* 260. 10.

ODOR *quid* 263. 2.

ODORATVS *ſenſus, ibid.* 1. *eius organum, ibid.* 3. *an attingat obiectum per ſpeciem* 264. 4.

OPPOSITA *quæ* 50. 2. *quotuplicia, ibid.* 3.

OPPOSITÆ, *quæ* 56. 1. *differentia inter oppoſita, & oppoſitas, ibid. quotuplices ſint* 57. 2. *earum tabula* 60.

ORATIO *quid, & quotuplex* 53. 3. *&c.*

ORGANVM *ſenſuum quid* 250. 6.

PARELIÆ 228. 2.

PASSIO, *& paſsibilis qualitas* 47. 2. *Paſsio ſpeciale prædicamentum* 78. 1. *V. Actio.*

PETITIO *quid* 88. 6.

PHYSICA *quid, vnde dicta* 103. 1. *an ſit ſcientia ſpeculatiua, ibid.* 2. *eius obiectum, ib.* 3. *eius diuiſio* 104. 4.

PHYSICVS *ſine logica* 29. 7.

PLENILVNIVM *quid* 184. 2.

PLVVIA 225. 2.

POLI *Mundi* 178. 3.

POSITIO 88. 6.

POTENTIA *naturalis, & impotentia* 47. 2. *Potentię vnde ſpecificentur* 234. 11. *in quo ſubiectentur* 235. 12. *Potentia naturalis, & obedientialis* 308. 3. *obedientialis ad quæ ſe extendat* 308. 5.

PRÆCOGNITIO *quid, & quotuplex* 78. 1. *&c. Præcognita in demonſtratione, ibid.* 4.

quid de premiſſis debeat præcognoſci 88. 5.
PRÆDETERMINATIO *Phyſica an detur* 147. 16.
PRÆDICABILE. *V. Vniuerſale.*
PRÆDICAMENTVM *quid* 40. 1. *conditiones illius, ibid.* 2. *quotuplex, ibid.* 3.
PRÆMISSÆ *Demonſtratiuæ quomodo cauſent Scientiam* 88. 7. *quomodo priùs noſcantur concluſione, ib.* 8. *quales requirãt cõditiones* 89. 1.
PRINCIPIVM *quid* 105. 1. *Principia primæ phyſica, ibid.* 2. *quot ſint, ibid.* 3 *quomodò ſint contraria, ib.* 4. *an ad omnia concurrant* 106. 5.
PRIVATIO *quid* 121. 1. *an ſit Ens* 50. 3. *&* 122. 2. *quomodò principiet, ib.* 3. *an diſtinguatur à materia* 123. 4. *quæ Priuatio in generatione principiet* 124. 5. *an in omni generatione concurrat, ibid.* 6. *an ſit natura* 130. 6.
PROIECTA *quomodò moueantur* 172. 2.
PROPOSITIO *falſa an vera trãſcẽdẽter* 292. *Propoſitio per ſe, de omni, æternò vera, & vniuerſalis &c.* 91. *V. Enuntiatio.*
PROPRIVM *quid* 34. 6. *quadruplex, & quod conſtituat quartum prædicabile* 35. 6. *an ſit vniuerſale per ordinem ad ſpeciem, vel indiuidua* 265. 6. *an poſſit à natura ſeparari, ibid.*
PRVINA 225. 6.
QVALITAS 47. 1. *eius eſſentialis definitio* 343. 1. *eius diuiſiones* 47. 2. *proprietates, ibid.* 3. *Qualitates primæ* 212. 3. *an ſint formæ elementorum* 213. 8.
QVANDO, *eiuſque proprietates* 49. 4.
QVANTITAS *eiuſque diuiſiones, & proprietates* 43. 1. *&c. eius eſſentialis definitio* 334. 1.
QVIES *an detur in puncto reflexionis* 174. 5.
RAREFACTIO 210. 14. *an in ipſa mutetur quantitas, ibid.* 15. *quomodò fiat ſine*

vacuo 211. 16.
RATIONALIS *anima*. *V. Intellectiua.*
REACTIO 209. 13.
REDVCTIO *ſyllogiſmorum* 80. 1. *oſtenſiua* 81. 2. *per impoſsibile* 82. 3.
REGVLÆ *generales ſyllogiſmorum* 77. 1. *ſpeciales pro ſingulis figuris* 78. 2. &c.
RELATIO, *Relatiua* 44. 1. *Relationis variæ diuiſiones* 45. 2. *eius proprietates* 46. 3. *an ſit bona tranſcendenter* 295. 2. *an ſit ens reale* 338. 1. *quomodò diſtinguatur à fundamento* 339. 2. *vnde ſpecificetur* 340. 3. *an multiplicatis terminis multiplicetur* 341. 4. *an terminetur ad abſolutum* 342. 5.
REMISSIO *qualitatis* 42. 3.
REPVGNANTIA *quæ* 49. 1. *eorũ diuiſio* 502.
RERVM *diuiſio* 39. 5.
RESILITIO *à quo cauſetur* 174. 6.
RESOLVTIO *vſq; ad materiã primam* 199. 12.
ROS 225. 6.
SAPIENTIA *quid* 286. 3.
SAPOR 265. 2.
SCIENTIA *quid* 27. 6. & 93. 1. *quomodo ſit nobilior arte* 27. 6. *quale ſit eius obiectũ* 93. 2. *à quo ſpecificetur* 94. 3. *an ſtet cum fide, & opinione, ibid.* 4.
SEMEN *quid* 244. 2. *quomodò concurrat ad generationem, ibid.* 3. *quomodò ſemen maternũ* 245. 4. *an ſit animatum, ib.* 5. *ex quo fiat* 246. 6.
SENSATIO *in quid terminetur* 254. 15.
SENSIBILE *quid, & quotuplex* 252. 10. *ſenſibile commune an immutet ſenſum per propriam ſpeciem, ibid.* 11. *poſitum ſupra ſenſum an ſentiatur.* 253. 12. *excellens quomodo lædat ſenſum, ib.* 13 *quomodò debeat eſſe præsẽs ſenſui* 254. 14.
SENSITIVA *anima quæ* 249. 1. *an ſit diuiſibilis,*

bilis, ibid. 2. *quæ eius potentiæ* 150. 3.
SENSVS *quid, & quotuplex, ibid.* 4. *quomodò concurrat ad ſenſationem* 251. 6. *an reflectat ſupra ſuũ actum* 255. 16. *an fallatur, ibid.* 17. *an perfectior in homine, quam alijs animalibus, ibid.* 18. *Senſus externi qui, & quot* 150. 5. *interni qui, & quot* 269. 1. *an diuerſis organis fiant* 270. 2. *quod ſit horum obiectum, ib.* 3. *quomodò attingant obiectum* 271. 4.
SICCITAS 213. 7.
SIGNA *cæleſtia* 180. 7.
SIMVL *quotuplex* 51. 2.
SITVS *eiuſque proprietates* 48. 3.
SOLSTITIVM 183. 15.
SOMNIVM 272. 4.
SOMNVS 271. 1. *illius cauſa efficiens, ibid.* 2. *finalis, ibid.* 3.
SONVS 261. 2. *an ſit aliquid reale* 262. 3.
SPECIES *quid, & quotuplex* 33. 4. *an ſaluetur in vnico indiuiduo* 361. *Species ſubijcibilis, an vniuerſale* 363. 3. *Species intelligibilis* 278. 5. *quomodò producatur* 279. 6. *impreſſa, & expreſſa* 281. 9. *Species ſenſibilis* 251. 8. *quomodò concurrat ad ſenſationem* 252. 9.
SPHÆRA *quid* 178. 1. *Sphæræ cæleſtis figura* 177. *eius diuiſio* 178. 4.
STELLÆ *quomodo hæreant cælo* 193. 6. *à quo moueantur, ibid.* 7. *an influant in Sublunaria* 194. 8. *quomodò, ibid.* 9. *an ceſſante earum influxu, motus ſublunarium ceſſarent, ibid.* 10. *quomodò influant in homines, ibid.* 11. *Stella cadens, diſcurrens, volans* 223. 3.
STIPVLÆ *ardentes, ibid.*
SVBALTERNA 34. 4. *Subalternæ, & earum regulæ* 59. 6. *an ſint veræ oppoſitæ* 60. 7.
SVBCONTRARIÆ, *& earum regulæ* 58. 5.
an

an ſint veræ oppoſitæ 60. 7.
SVBIECTVM, *& prædicatũ propoſitionis* 56. 8.
SVBSISTENTIA, *& ſubſiſtere* 41. 2. *&* 314. 1. *quomodò diſtinguatur à natura, ibid.* 2. *an ſit aliquid poſitiuum* 316. 3. *an vna poſſit terminare plures naturas* 317. 6. *an duæ eamdem naturam, ibid.* 5.
SVBSTANTIA *eiuſque eſſentia* 41. 1. *&* 309. 1. *prima, & ſecũda* 41. 2. 310. 2. *eius proprietates* 41. 3. *an poſſit priuari omni ſubſiſtẽtia* 316. 4. *Subſtantiæ ſecundæ eſſentia* 310. 3.
SVPERFICIES 43. 2.
SVPPOSITA *quomodò multiplicentur* 318. 7.
SVPPOSITIO 88. 6.
SYLLOGISMVS *quid* 71. 1. *quot habeat terminos* 72. 2. *quot propoſitiones, ibid.* 3. *variæ eius diuiſiones* 85. 1. *& ſeq.*
TACTVS *ſenſus* 266. 1. *eius obiectũ, ib.* 2. *an ſit vnus ſenſus* 267. 3. *quod ſit eius organum* 268. 4. *an, obiectum æqualis temperamenti tangatur, ibid.* 5.
TEMPERAMENTVM *an vna qualitas* 220. 9.
TEMPVS *quid* 169. 1. *quomodò diſtinguatur à motu* 170. 2. *eius diuiſiones, ibid.* 3.
TERRÆ *motus* 227. 2.
TONITRV 223. 4.
TORRIS *meteorologica* 223. 3.
TRABS *meteorologica, ibid.*
TRANSVBSTANTIATIO 196. 3.
TROPICI 182. 11.
VACVVM *quid* 166. 1. *an ſit dabile, ib.* 2. *an in Vacuo motus fieret* 268. 3. *an ille motus eſſet ſucceſſiuus* 169. 4.
VAPOR 221. 4.
VBI, *& eius proprietates* 49. 5.
VBICATIO 165. 4.

VEN-

VENTVS 227. 1.
VERBVM 52. 2. *Verbum, mentis* 281. 9.
VERITAS *tranſcendens* 292. 1. *quomodò differat à formali* 293. 3.
VIGILIA 271. 3.
VIRGÆ *meteorologicæ* 228. 2.
VISVS *ſenſus* 256. 1. *Viſionis organũ* 259. 10. *an fiat per extramiſſionem* 261. 16.
VITA *in quo conſiſtat* 229. 3.
VIVENTIA *vndè moriantur* 236. 14.
VNIO *an diſtinguatur ab extremis* 124. 2. *an ſit eorum cauſalitas* 135. 7.
VNITAS *tranſcẽdens* 296. 7. *an ſit idem quod vnio* 297. 2. *an ſit negatio diuiſionis, ibid.* 3. *quid ſit, ibid.* 4. *vltima Vnitas ſpecificat numerum* 337. 4. *Vnitas triplex* 351. 2.
VNIVERSALE *quid, & quotuplex* 32. 1. *quot eius ſpecies* 33. 1. *an detur à parte rei* 359. 4. *an ſit relatiuum* 361. 6. *an conſiſtat in vocibus* 360. 5. *Vnitas ad ipſum requiſita* 357. 1.
VNIVOCA *Vniuocantia, & vniuocata* 38. 2.
VOLVNTAS *quid* 289. 1. *eius actus, ibid.* 3.
ZENITH 181. 8.
ZODIACVS 179. 7.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

Digitized by Google

Digitized by Google